
Leonis Sanctii
e S. I.

Sanctii
S. J.


FLORIDORVM
Sertum Secundū
MELODRAMATICA
EPICA
ORATORIA
In Coll. et Sem. Rom.
pertexebant




LORIDORVM
LIBER SECVNDVS.

OPVSCVLA
VARIA

ratoria, Epica, Dramatica ad nostra-
tem potissimum harmoniam ac-
commodata complectens.


Auctore
EONE SANCTIO
Societatis IESV.






R O M AE,
pis Francisci Corbelletti. MDCXXXVI.

Superiorum Permissu.





AMICO LECTORI.



OROLLAM iterum è flosculis teximus, relicta doctioribus frontibus hedera, & lauro. impositum autem semel nostris opusculis FLORIDORVM nomẽ retinemus, non tam florum amœnitatem professi, quàm metuentes fatum, breuitatem, inquam, æui,

ne vix edita in lucem famæ ſu
bito langueant, & marceſcan
hoc ſolum nomine Florida
Sed colores etiam, & odores,
quibus omnis florum honor,
& pretium conſtat, nec ſuaues
omnibus in hoc ſerto erunt,
nec benè olebunt alicui multis
de cauſis.

Primum enim oratoria hic facultas nimis facili traiectu ad Poeſim trāsfertur, cuius argumentis commentitijs non parum obſequitur, lætioribus etiã numeris criſpa, ne dicam inuerecunda translatis. Verum cum hoc tempore omnis oratorum ars apud nos deſtituta deliberationibus, & iudicijs in

vna

vna virtutũ exornatione versetur, oblectamenta idonea elaborare vix poteſt, niſi noua sẽper mixtura aliqua dulcium, & vtilium; vetera enim ab aſſuetudine in faſtidium adducuntur. ideo non omni ſæculo idem aurium iudiciũ, eademq; voluptas animorum, vt in re cibaria, veſtiaria, muſica, politica etiam; liquido cernunt qui paulo diutius viuunt: conuerſiones enim inexpectatas doctrinarum, morum, rerum fermè omnium fieri, ſecum ipſi dolent aliqui, rident alij, mirantur omnes.

Auorum noſtrorum memoria, quibus nihil præclarũ erat,

nisi clarum, & rotunditate numerorum suauiter labens, Cornelij Taciti, similiumque auctorum obscurum nomen fuit: nunc illustre vix quicquam esse potest apud multos, nisi ex ijs subtractum imitatione, vel furto. an quòd studia verborum inania ducimus præ mole rerum! an quòd multitudo etiam in vocibus odiosa iam est? fortè stomachi tenuitate laboramus nihil admittentes, nisi exquisitissimum sit, haustusq; breuissimi. quid si ne pulchrum quidem quid placet nisi subdolũ, semiconspicuũ, & ex insidijs cum aliquo labore captandum? Vno inciso periodorum

dorum ſummas adſtringimus an gliſcente etiam in vocabulis auaritia?

Sed, niſi fallor, mira hæc eſt prouidentia naturæ variantis iudicia per ætates, ne ſcilicet ynum tantum ingeniorũ, & laudabilium operum genus laude floreret ſemper, reliqua verò omnia per iniuriam æternam ſordeſcerent, propterea magnæ mentis orator Tullius diuerſa dicendi genera, & planè contraria laudauit; neque Plinius non ſuſpexit Ciceronem, quamuis in panegyrico ſuo diſsimilis. Quoniam igitur in tentando nouo aliquo, ſeu veteri inſtaurando aditu

ad gloriam communis eſt laus, comunicare cum ea noſtrum laborem voluimus, dum non modo comunibus, ſed peregrinis etiam floribus viam ad amorem virtutis per Virginem magnam matrem potiſsimum exornamus. Quamquam veteres Apologorum ſcriptores veniam dediſse nobis videntur vt pro loco & tempore commentationibus poeticis oratoriam aliquam operam locaremus;

Verum opera etiam noſtra diſplicebit non nemini, quòd ſcenas dramaticas ſeparatas à complexu fabulæ, tamquàm nullius corporis membra ex

Or-

Orcheſtra nõnumquam in roſtra, & cathedras, comunium poematum loco, traduximus, nullo exemplo, minus amicè facientes cum Epicis, Huic accuſationi factum ſatis arbitramur ab vtilitate, ac dulcedine nouitatis, quã paulò ante cauſati ſumus; exemplum autem ſumpſimus ab ijs, qui Choros quos Tragædijs affixos fuiſſe ſcimus, ſingulis ferè Philoſophorum diſputationibus interponunt.

Legislatores nouos in ratione metrorum fuiſse nos conqueretur aliquis, quòd noſtro arbitratu verſus peruerterimus in melodramatis. Sed confiden-

dentiæ huius excuſationem ad calcem melodramatum expoſuimus: penes te poteſtas legitima ſit noſtris de legibus iudicare.

Iudicabis autem iniquum factum, quòd opuſcula noſtra inæquabili nimis varietate diſcordent, quædam enim longè alijs leuiora ſine calore ſplendent, numeris meliora quam ſenſibus, ſonantibus ornamentis decorata, non locupletata. Sed primæ ætati prætexta debetur cum bullis: ſi quæ hic adoleſcentiam, in qua nata ſunt, redolent, ſpirabunt fortaſſe ſuauiter adoleſcentibus: quòd ſi nè florum quidem dignitatem,

tem, ac pretium habere censeantur, loco frondium accipienda erunt in hoc ſerto, quo anniuerſaria veluti religione Sapientiæ limen ornamus.

At illud etiam ad ſacrarium Religionis pertinet, quòd ſuauius, quam obſeruantius amores erga Matrem Virginẽ proſequimur: incitatas etiam vibrati vehementius cordis emiſſiones in illam ſuperfluere licentia videbuntur, & per formulas fermè profanas.

Ad huius querimoniæ caput ab ipſo Eccleſiæ naſcentis exordio aduerſus cæleſtis amoris principes, ac magiſtros inſtructum, quia ſatis reſpondet magnus

De di-uin. nom. c. 4. gnus ille Dionysius cum vniuersa Hierothei diuina patientis schola, in qua ipsum etiam Pulchri, & Amoris vocabulum cōsecratū est aduersus criminatores, verba facere nō erit opus: neq; appellare Ioannem in sinu Dei gestatū, neq; Paulū ardentem medullitus, & alios, quorū in familia, si seruorum numerum augere possimus, in regno sumus, habituri in hoc etiam foro mortalitatis Patronos eos, quibus, quod non se in corpora profuderint, nihil absurdi, aut profani venire solet in mentem, dum ardentius amant.

INDEX OPVSCVLORVM,

Quæ in hoc volumine continentur.

V

Mil-

F I N I S.



MV.

MVTIVS
VITELLESCVS
SOCIETATIS IESV
Præpositus Generalis.

CVM Librum Secundum Floridorum P. Leonis Sanctij, nostræ Societatis aliquot è nostris, quibus id commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita Reuerendissimo D. Vicelgerenti, & Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has litteras, manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 1635.

Mutius Vitellescus.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Torniellus Vicesg.

Ego Io. Baptista Ferrarius è Societate IESV Mandato Reuerendissimi Patris Nicolai Riccardij Sac. Palat. Apost. Magistri, legi Primum, & Secundum Floridorum Librum P. Leonis Sanctij, eosq; dignissimos censeo, qui Typis mandentur.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Lupus Magister, & Socius Reuerendiss. P. Fr. Nicolai Riccardij Sac. Palatij Apost. Magist. Ord. Præd.

E R-

Errata *sic* *corrige*

Pag.	*ver,*		
37	2	illi	illi
46	34	Auo	Auro
49	4	erumenam	crumenam
50	16	prorurat	procurat
85	2	met	mel
90	2	Burghefiorum	Burghefiorum
93	25	due	duc
112	16	icnero	tenero
129	3	nempe	crede
144	8	premisiam	premit iam
170	32	volara	volarat
ibid.	33	obprufior	abstrufior
171	4	refores	referes
176	7	prugna	pugnæ
182	27	crrdi	cordi
186	1	aibo	albo
224	21	mægis	magis
177	12	tet	toe
245	6	riu	ritu
246	15	matutiæ	matutinæ
259	20	amaueri	amauerit
273	13	iuclufus	inclufus
308	1	difcutit	difcutit
113	31	falui	falui
336	6	obliuiæ	obliuia
337	16	bibatar	bibatur
ibid.	21	mutafæ	mutas
351	1	reponitit	reponit in
337	21	mutafæ	mutata
Aetheris patritios			opimates ætheris

Leuiora facilè corriges : ideò consultò prætermittuntur.

DE GLORIA
PASTORIBVS NVNCIATA
In nocte Natali
DOMINI

*Carmen * Georgicum* — * rusticum

Lingua veteri Romanorum

Metro iambico Atellano siuè inconcinno.

Rhoncus somnurna Caprarius, & Faustus Vigilax Pastor, qui fingitur interfuisse nocturno Choro Angelorum ambo a Petrones rupices.

Rhon. *MIrum adeò nisi temet temeto b gutturosè auariter Ingurgitassis Baccum doliarem c degulâs;*
Dum tot lucernas d nubigoga in æthere
Sis e quitus intui, vt gannis, f antelucio:
Nam nox nigrebat mera cum luna gibberosa immunditer.

Faust. *Ego ex vnguiculis g pone lactisugium*
h Illicio nullo vitigenæ pruriginis
Sino Baccum attentare mihi labra, hymnorum sacraria.
Ita cor mihi sanctescit i nazzarenitus,
Mihiq; nectar purum empyreo è cado

a rustici rupis incolæ
b amplo gutture
c faucibus hauriens
d nubes agente
e potueris intueri
f antediem
g postquā lac sugere desiiti
h illecebra
i ritu nazzareno

a Ciathissat largitanter diuina Volupi
At te miserter miserum, qui ne perdo
scis nunc quidem,
Nec persentiscis quibus b inaniris, &
vacefias bonis
Exactæ noctis;dũ tibi somniosa indulgita
Talpinos c funerassit oculos in sepu
chro Morphei
O si nobiscum lautas lætitudines
Et d pulchritates æuiternas Cælitum
Terris e labundas vesci oculis f potes-
sessio si & auribus
g Surrimere famelicosis carmina supe-
rum h consatantium
Canore i dulcirusƥante auras gauden-
tes contundier:
Immane,quãto K cruciotemet fligeres,
l Pigrasse culcitronem, dum nos propera
properitudine
Topper m topper conuasauimus in terre-
strum factum æthera.

Rhon. Eiusce facti fama nobiliter n vagat
Inter Pastores, qui disertim o faminant.
Tonitra meloclangentia adulasse aures
mortalium
Inter cachinnos sydcrum, quin & laxim
p iuuenarier
Visos Diuos Magnates cum medioxumis,
Et pupos Empireticos, prognes Cœli, &
passerculos
q Harmoniloquentulos r pipilasse faustita-
tem hominibus,
Quin s dulcibebe insuetum combelasse t sur-
recta pecuda,

Sed

a per ciathos distribuit voluptas
b inanis fis & vacuus fias
c funerauit
d formas æternas
e quæ labuntur
f potuisses
g suscipere
h simul loquentium
i dulciter attentante
K tormẽto affligeres
l pigrum fuisse sub culcitra
m statim statim
n vagatur
o dicunt
p iuueniliter ludere
q harmonios è loquentes
r voce propria earum auium
s vocẽ pecudũ propriã dulciter pr..la..ã
t erecta pecora

Sed unde hæc fama primo permanaſcere
a Occepſit, hoc b ſuſcire c veratū haud quium hactenus.
auſt. *O me igitur d forctum, & horctum; quippe me e dignaruntſydera*
Hunc f indipiſci plenè theſaurum, amplatis obtutibus.
Ita oculos Divi bene amauerunt meos.
Rhon. *Ita meos peſſumè hamauit g ſomniurgus morpheus*
Malefuat ſomnioſis, vt me morbido ligamine
Pepulit h obbruteſcentem in vitā ſaxeā
Atratos male-capiſtrans ſenſus inſenſificus ſopor i.
Ageſis igitur mihi, & quod de te i efflictim inquirito.
Annales noctis huius enoda, reſupina & mihi
Omnem ore veritatem, vt pro certo K exputem
Quid agundum, quid peragundum mihi fuat l huius pro merto m rei.
Fauſt. *Rem tibi planabo totam non falſifico n famine:*
Nam mihi nec fides o profluuia eſt, nec memoria madida.
Iam p panſelene luna q magmēto r cluēs
Longo s itere Celi t capſerat meditulliū
Ipſusq; adulta noctis u medidies erat:
Non Cecias cacatum æthera grauid ut nubibus
Quò ſegeti fluuium generet infortunium.

a inceperit
b clā ſcire
c verificatū
d fauſtum, & felicem
e dignata ſunt
f adipiſci
g ſomniorū fictor
h brutalem in modum
i ſūmo ſtudio peto
K judicem
l ſit
m merito
n ſermone
o quæ labatur
p plena luna
q maiore augmento
r fulgens
s itinere
t cœperat
u meridies

a fallit
b eò quòd modo fit clarus, modo turbidus

Neque a *sycophantat Eurus Cælifragus*
ex b *clariturbido,*
Nihil hiscere ausit ventorum, nihil aquarum perfremit.
Senilis anni fluxerant pili affatim ,
Glabritate calua hyemis , & tonsu aquilonio:

c magistri loco regit

Scholam Cæli c *magistrat Zephirus sine ferula ,*
Mendasq; amandans toto cæli ex corpore

d pulsans

Et edoro anhelitu d *pultans aerem aspredinem*

e molliter subigit
f vsque ad papillas se ostentant
g mixti saporis .
h dant

Malacissat hyemem, Nudo passim pectore
Astra f *expapillant se : madore lacteo*
g *Dulcacidam substillant scatebram : partum scilicet*
Nobis dederunt nuperum, si lac h *danunt*

i frustra detinens
K molesta loquente
l nugas
m emerem minimopretio, siue filo putrido
n subito
o vel nega
p socco ligneo
q pugnis agens

Rhon. *Sed me lactas tu ,* i *vanans sermone* K *morologo :*
Namq; ego fandi has l *gerras non* m *emisim titiuillitio .*
Famelicoso sciendi nauseosa est prolixitas .
Atque n *atque vel tu ai . vel exhibe mihi* o *negantiam ;*
Secus : ego tibi p *calopodio eliminabo titubantiam ,*
Et nisi rem totam de subito euomis ex pectore

r calcãdo exprimam.

q *Pugnitus ex occipitio* r *exculcabo sententiam*

Faust. *Natus es irato mari ; sine tempestate nil facis .*

Sed

Sed, rem magnam nunc ordibor: aures
mihi conduplica.
Dũ nostra vigil [a] *curantia cũbebat gregi*
Nocte mediana, uti [b] *delicabam, en tibi*
Fulgore vndabũdo Cæli æquora fluctuãt,
Et nox primum quidem gracilescere in
diluculum
Occepsit fulgurillis sine tonitro aurescen-
tibus.
Tum condiescit, Cœli fronte [c] *sanda-*
racata vndique.
Inde populatim turba celebrescit poli,
Superis [d] *labundis empyrei vastescunt*
agri,
Pueri flammioculi [e] *pinnulatim trauiãt*
Suis mæandratum flexilibus cæsariebus
aëra
Et quaqua pungunt radijs, vrunt spiculis
Non inter Astra hos computes, non lunæ
contendas pares
Sed soles [f] *noctuabundos deierαueris,*
Præ queis luna exputrescit, & stellæ
[g] *fragent.*
Rhon. *At quorsum aderrant, quouè se in ca-*
sum [h] *danunt?*
Tot hi [i] *metelli, ac tãti huius* [K] *exerciti?*
Faust. *At tu ne sermone* [l] *obstrigillans* [m] *ob-*
scaues mihi
Quis [n] *creduat? in nos impetum penni-*
uolum facere occupant.
Rhon. *In vos fungos exuctos macritudine?*
Et [o] *murgisones* [p] *gramosos* [q] *squalidine?*
Fauſt. *Nos* [r] *crassipelles,* [s] *murcos.* [t] *occalla-*
tos miserijs.

[a] cura incumbebat
[b] explicabam
[c] flammeo colore tincta
[d] labentibus
[e] pennis transeunt
[f] noctu discurrentes valde iuraueris
[g] fractæ languent
[h] dant
[i] milites stipẽdiarij
[K] exercitus
[l] repugnãs
[m] malum omen afferas
[n] credat
[o] inertes
[p] miseros
[q] squallore
[r] crasso ingenio
[s] stupidos
[t] habentes callum obductum.

a occurrit
b fauor
c inexpectato
d lucis amplitudo
e ebrijs factis
f simul
g lucis
h fracti languescimus
i solent
k damna
l dant
m praecipiti
n explicat
o emollire
p delicias
q coepit nos docere suauiter

Nos a *eccecurrit Cælitum hæc* b *fauētia*
O speciem noctilustrem, noctilucum c *impetum.*
Ecce tibi de c *nec opinato vasta* d *lucu lentitas*
Luciscit aggeratim oculis e *ebriulantibus*
Sol quantus quantus est, vno in glomeramine
f *Simitu coactus non exæquaret micam*
g *Lucoris eius nocte concubia editi.*
Tempestuosa radiorum exuberantia
Fulgurijt sine tonitru nos superbiter.
Tum vero h *confragemus accisi metu*
Depauperati spiritu & fidentia,
Animus ex animo fit animula, cor vix restat corculum.

Rhon. *Rem tu præposterè mirificas: nequ solinunt* i *Cœlites*
Suis cum amicis facere tam inimiciter:
Bona pluunt, non degrandināt k *nequalia*

Faust. *Imo bona* l *danunt casu* m *præcipe multifariam.*
Atque ecce primum è Cœlo iuuenis capite florigerulo
Frontem Solis gemellam n *discapedinat.*
Cui fruticescit aureis cespitibus coma
Cui purpurissum cum cerussa miscili
o *Malassare videbatur empyream cutim*
Illi vocula mellipotens dulcimustea,
Cordifraga scaturiens meras p *volupias*
Ita q *capsit nobis pædagogare mellillo sono.*
Aspellite metum: nuncio lætabo vos
Quod fortunatim populo vertet generalitus

Ecce ille

a *Eccille votis gentium, & suspirijs*
Patrum, Vatumque b *Kalatus Messias*
merus
c *Congerminascente puera prognatus est.*
Atque erit hoc argumentum vobis in
promptu situm.
Nam d *voce cassabundus in* e *procestrio*
f *Mapalium* g *quæsentibus inuentu est*
h *facul*
Pannis contaniatus infantiliter.

Rhon. *Hem quid deblateras; mitte hæc*
i *fracta vitrea.*
Ratus es temeriter; & terra in sterili
seminas;
Namque ego te argutantem tamquam
eicadam audio.
Cælestis ille purus. ac K *putus Deus*
l *Cascorũ senecionũ carminibus clues,*
Isacidum momentosa terrarum salus
Fœtu puellæ factus est m *mediterreus?*

Faust. *Vt nostra in sese terrea conglomeret*
mala
Cladesq; nostras corporiinfigat suo.
Sed n *mũ. nam isthæc loquutus ore ne-*
ctareo Aliger
Vixdum nobis absterserat rubiginem
Ex auribus, cum o *extempulo per æthera*
Increbrescunt p *palatim pupi* q *malthaci*
Pueriq; crispicriniti, & iuuenes nudipe-
ctores
Quibus coma post terga nepotantur lu-
xu aureo.
O speciem r *spiciendam* s *contuolis, ò*
t *myrobrechas comas.*

a ecce ille
b vocatus
c pariente
d infans
e in loco patulo aperto
f veterum ædificiorũ
g quærentibus
h facilis
i nugas meras
K Verus
l Veterum senũ prophetijs cla rus
m media in terra natus
n tace
o extemplo
p dispersi
q teneri
r aspiciẽdã
s oculis in angustum actis ad melius videndum
t vnguentatas.

Iam [a] *nupturire terris astra diceres*
Tanta [b] *vitulantia* [c] *vicissatim* [d] *denagant.*
Ita [e] *congermanescunt superi cum mortalibus.*
Organa contenta [f] *neruijs* [g] *nitibunda in melos*
Multisonorum ex humeris in manus [h] *itant*
Atque ecce harmonico in conspiratu contitinniunt
Nablistæ, panduristæ, citaradi, fidicines
Perdocti cymbalissare, & omnifariam [i] *sonere.*
[K] *Tonit suauiter melica tempestas mulcedinum*
[l] *Vagore altiuolãte* [m] *augificãs latitudinẽ*
Auditurq; ex illis de pupo versificatio hac.
Gloria [n] *meteoris* [o] *modiperatori syderũ*
Scitisq; terræ hominibus. Pax [p] *pacione æternabili:*
Hacce loquuti longè faciunt [q] *longiscere sonitum.*
Tum [r] *motuantibus alarum* [ſ] *nixati remis, freto*
Aereo [t] *nauiculantur penniuagante* [u] *natabulo*
[x] *Donicum astrorum appulsi ripa, Cæli* [y] *oppilarunt ostia*
At vix eorum primum facta est [z] *obticentia*
Cum mihi, meisq; [a] *occepsit arietare intima cordis mania*

a nuptias petere
b lætitia gestiente
c per vices
d vagantur
e fraternè se gerunt
f chordis
g quæ conantur
h eunt
i sonitum edere
K tonat
l vagante per altum volatu
m augens
n in excelsis
o moderatori
p pacto fœdere
q extendi
r sæpe mouentibus
ſ innixi
t nauigant
u natatione
x donec
y clauserũt
z silentiũ
a cœpit

Cup.

a Cuppedo cupientissima b initandi locū
Vbi c primipara d matermatrima præcoquem pupum edidit.
Rhon. *O me e vacerram, quisquilia non homo fui, quia tamdiu*
Inculcitram inculcato caplte, ventriosa cucurbita;
Inertiam f obesaui noxiosa g mursia
Faust. *At nos h feritinantes iter exātlauimus.*
Rhon. *Ne mihi i longiscas verbis, namq;eadem mihi*
Cupiditas k hamiota prehēsauit animū,
Edaxq; cura morsicatim vellicat,
Illuc l itandi. Nunquid tu gnarus es m iteris?
Faust. *Bene vertet istuc. itiner hoc notitiei mea palam est,*
Rhon. *Desidiem properitudine n redhostire o cumprimè volo.*
Faust. *Atque ego p nenu resistam.*
Rhon. *In re feruentissima*
Omnis frigedo q opprobramentū est;reor.
Iam ne imus ergo?
Faust. *Nullum ex me r obiectaculum est.*
Rhon. *Cætera me condocebis in via.*
Faust. *s Auspicas haud perperus.*
Vt t capiat nos edocere, ipsum Dei Verbum in via est.

a cupido
b ineundi
c primum pariens
d matrem habens matter
e vecordem
f impinguaui
g socordia
h subsilientes
i prolixus sis
k hamo capiens
l eundi
m itineris
n compensare
o valde
p non
q dedecus
r obex
s auspicaris non malè
t incipiat



PERVIGILIVM
In nocte Natali
DOMINI
Carmen est tenue.

NVNC ama, si nunquam amasti,
Siq; amasti, nunc ama,
Nuper astris deuolutus appulit terris Deus
Ipse amor tanti boni auctor, ipse cōmenti nouus
Artifex nostris coegit artubus mollem struem
Sponte nauim fabricatus, qua citatis cursibus
Se de Olympo prepotentem vexit in terras Deus.
Tybris, alto qui superbis inter amnes gurgite
Mitte Nymphas Romuleas, tuq; Idaspes aureo,
Tuq; Nile, tuq: Ganges, tuq; Iordanis tuas,
Ite mentes, ite Amoris sauciandæ amoribus
Nec timete; posuit arcus, et pharetrā, et spiculas:
Natus est inermis orbi, nudus orbi natus est,
Neu quid arcu, neu sagitta, neu quid igne lædere t,
Sed cauete, algens hic ardor miscet orbē incēdijs
Hic inermis est in armis; algor hic flammas iacit,
Nempè tū verò ferocit, quando nudus est Amor.
„Nunc ama, si nunquam amasti, siq; amasti nunc ama,
Iam fugato Sole terris, nox diei posthuma
Noctilucis picta ocellis. obsequuta Delia
Syderum textum pyropis peplū Olympo fuderat:
Nullus horror, nulla nubes, nulla ruga infecerat

Cyn-

Cynthia genas nitentes, fratre plenas Delio,
Sed serenis inter orbes delibutos gaudijs,
Roris vndas lacrymata gestiebant sydera;
Cum Deus casta Parentis fusus aluo Virginis,
Sponte inermis, spõte nudus, spõte egenus omniũ.
Ampla cœli tecta, nostris posthabenda censuit
Gentis humanæ caducas induens lacinias.
.; Nũc Ama, si nũquã amasti, siq; amasti nũc ama
Fallor, an calũ dehiscit? fallor, an stellæ cadũt?
Vltrò per noctem fatiscunt multipartitæ fores.
Vndè cœlitum coruscat blanda pubes alitum:
En volatu concitato sese agunt per nubila,
Et frequentes ad puelli deuolant cunabula,
Cernis, vt blãdũ resultat longa pẽnarũ phalãx,
Bracteisq; concrepantes plumulæ lasciuiunt?
Fronde tempora hic reuincit, hic coercet floreũ
De corollis fluctuantem crinium licentiam;
Hic decora dulce ridens ora pingit Iride,
Hic amabilis corusco lene ocello fulgurat,
Hic puello plaudit; albis ille pennis emicat;
Vnus ardet inter omnes natus Infans cœlites;
Qualis effulget minores inter ignes Delia,
Deque flammis, deque gemmis, deq; Amoris roribus,
Algidusque, feruidusque, ditiorq; fulgurat.
.; Nunc ama, si nunquam amasti, siq; amasti, nunc ama.
Fallor an festiuus aer insonat concentibus?
Musicus rector superno vix choro signũ dedit,
Vix canora suscitauit classico certamina,
Iam choraules findit Euros per propinquos aera,
Tibiasq; dat loquaces de canoro spiritu.
Iam lyrista prouocatus, lenẽ adurget neruulos,

Et chelym doctè flagellat eloquenti verbere.
Quin & argutas per auras innatantes voculæ
Inclyto cantu maritant garrientes fistulas.
Sic renatus quando Eois reptat in cunis Dies
Arborum sparsæ volucres frondeas inter casas,
Næniam illi inter vndas vagienti concinunt
„ Nunc ama, si nunquam amasti, siq; amasti,
nunc ama.
An vides, vt temperatam concinentes pyrricã
Alitum Pubes, decoros saltu inerrant ambitus?
Nunc in orbem flexuosi per manus sese trahunt,
Nunc in obliquam reducti se phalangem disgregant,
Nunc sine ordine implicantur, nunc quadratum saltitant
In patorem conglobati, nunc sonoro cantui,
Gestibusq; nutibusq; delicatis occinunt;
Triplici nexu sorores complicantur Gratiæ,
Aureis Zonis fluentes aureum scissæ peplum.
Hisce nexibus puellus, hisce Amoris vinculis
Dariora secla in aurum pace concordi ligat.
„ Nunc ama, si nunquam amasti, siq; amasti, nunc ama.
At Puellus, quam glabellus, quam suauiter ferox,
Candidusq; flammeusq; Matre dignus Virgine?
Ora depingit colorum discolor concordia,
Pugnat albicans ligustrum, flammeæ pugnant rosæ,
Floridum vultum puelli, quò sibi omnem vendicent.
Pugnat albor, pugnat ardor, neuter expugnat tamen,

Aleaq; pugna inermis gratiam in contrariam;
Inter ardentes pruinas, inter algentes faces
Et ligustra purpurascunt, & roseta candicant.
„ Nunc ama, si nunquam amasti, siq; amasti, nunc ama.
Cernis, vt micanti ocello mollis erumpens latex
Candicanti florulentas rore tingit purpuras?
Perq; flosculos genarum flebiles riuos trahit;?
Cernis, vt se latè in vndas effluentem sustinet,
Seq; librat, seq; tutat ponderosis orbibus?
Vnde firmius rotundis ora lambat osculis?
Sic Eoas inter vndas Sole adhuc impubere
Aura leni dum flagellat ventulo infantem diem,
Arbores comam resoluunt de maritis roribus,
Et leui saltu trementes sparsa in herbis lymphula,
Orbe paruo lacrymata sustinent fletus suos,
Nempè in orbem sic rotantur ex Amoris circino.
„ Nunc ama, si nunquam amasti, siq, amasti, nuuc ama,
Aura leni sparsa flabro, lædere infantem pauet,
Et quieto vecta plausu, per seuera stramina,
Perq; fanum. perq; cunas, perq; molles fascias
Vagientem fluctuanti fraude conquirit Deum;
Vnde proximè aduoluta facta sensim audacior,
Et lacinijs reflatis, fugit oris oscula;
Deq; malarum roseto, deq; frontis hortulo,
Mille flores, mille odores, mille amores demetit,
Demetit, messosq; amanti ventilat suspirio,
„ Nunc ama; si nunquam amasti, siq; amasti, nunc ama.
Ecce somnus blandicello vectus allapsu natat,
Inuidusq; aura procaci sensibus furtim incubat?
Cernis, vt blanda quietis fundere humentẽ peplum
Gestit vltrò, si liceret, vagienti infantulo?

Cernis, vt leni soporis vinculo prædam alligans
Inuolat rapax ocellos, quò sibi soli vacent?
Mira res, audita nunquam; somnus in cunis amat;
Somnus in cunis flagellum passus est cupidinis,
Huc tepentes delicato mobiles anhelitu,
Ite venti, somnuloq; plumulis applaudite;
Huc voluptas rorulento succiplena nectare.
Hic beata blanda regnant Pacis alcedonia
Iam silentio fauete blanda pubes alitum,
Tuq; succentor sileto, tuq; præcentor sile;
Quin & ipsa conticesce Musa. Riualis tibi
Somnus est, & vicit, alto cede iam silentio:
Cras amabis, nec tacebis, nunc tace, si verè amas.



VIATICVM PEREGRINAE

Fabula Prætextata.

Pro ludis

VIRGINALIBVS

Die
Deiparæ inuiſenti Eliſabetham
SACRO
In gratiam Seminarianæ Iuuentutis.

Perſonæ.

Satyriſcus Veterator
Parthenius à Latere Virginis
Amantius Ambuſtus
Prudentius Hortator
Lucretius Largius
Seruilius Curſor
Aurelius Cuſor
Erotillus puer Amantij
Aurippus puer Aurelij
Lucridius puer Lucretij
Harmonillus & Melidius phonaſci
Chorus Sodalium intra Proſcénium
Chorus Afflatuum diuinorum intra proſcenium

PRO.

Satyriscus, & Parthenius.

Sat. NISI vos hic demiramini, miratio est:
Ego mira mirabundus miror mirificè isthæc omnia.
Sum præ stupore stupeus; vtinā euasissem laneus,
Vt molliore filo nere vobis huius fabulæ
Possē argumētum. Sed quid hic argutarier
Frustra incipisso ad fabulam non fabulā?
Nouus aliquis semipoeta hic dat, credo, semifabulam:
Nam semiscenicus est hic apparatulus.
Et Scena seminuda est, & ego in semiscamnis ambulo.
Male sit semitabulis; vt ego hic pede pentametro semicecidi?
Imò etiā in semilubrico integra euēnit prolapsio.
Age, quando hic dimidia sunt omnia; dimidiatus homo hic etiam ego
Caprina Semipersona è Semipulpito
Hoc semicontignato semiproloquar: peream; nisi
Ipsi auditores etiam sibimet debeant,
Dimidiatim diminuere auriculas, vt semiaudiāt:
Ita cuncta semicuncta sunt, totum nihil.
Part. Quid hoc sit hominis? imò quid hoc sit belluæ?
Sat. Quid hoc sit statuæ? imo quid hoc sit stipitis?
Part. Quæ te, malum, egit pestis huc? nil iuris est
Petulco in hortis hisce pensilibus Dei.
Paradisus hic est, Virginis possessio Integerrima.
Cui suspirant quotquot respirant Cordiū fauonij.

Cui

Cui florent quotquot spinæ Amoris animum compungunt meum,
Apage te hinc: Ne pede ne ore fæculento commacules locum
Sat.. *Commanducaui laurum phœbæam. bene oleo. quin pedem*
In fonte pegasino vtrumq; laui: Niteo plus satis.
Part. *Nimium poetas miseros, vndam qui turpissimam ebibunt*
Lasciuientum Capripedum extritam pede,
Gregisq; fœdi cum saliua fetida
Laurum præmansam crinibus imponunt suis.
Contra beatos nos, quibus Virgo Inclyta
Helicona commutauit, & Pindi lacum
Alios in montes, alios in fontes. Sat. *Quid hoc?*
Peregrinas ergo Musas alio in fonte expiscamini?
Part. *Vna potius peregrina nos inescauit prædulciter,*
Traxitque ad se volentes: illa est Vnica (ror.
Mihi musa, illa & poesis pariter & poeticus fu-
Sat. *Nugas intristi Fabulis. Euiscera*
Tuam mihi particulatim omnem sententiam
Quæ sunt nouella hæc Pindi vestri culinina?
Part. *Montana Iudææ.* Tat. *Insulsè. tum quæ apud vos est vngula*
Caballi calcitrantis in Cœlum, quem appellant Pegasum?
Cui scalpenti caput Montis fons ille exculptus dicitur,
Quem cribro multi, cerebro pauci hauriunt.
Part. *Non effrænatus hic Equus agit calcibus*
Per inane, vatum ingenia desultoria:
Sed Agnus quam mitissimus, Fontes aquæ
Salientis inter Astra dū protrudit: arente in sinu
Elisabethæ procreat Vatem sibi

Pupum

Pupum Ioannem. Satyr. *Ego ne guttam quidem*
Capio sermonis huius. Part. *Quia dolium es*
plenum fæce, ac luto
Sat. *Vtrem te potius vento plenum dixero*
Ni solidam mihi, & his dixeris Poematis
Vestri materie. Part. *Prologũ tutè modo dabas?*
Sat. *Nunc argumentum proloquere.* Part. *Viaticũ est,*
Sat. *Stultè* Part. *Quianam?* Sat. *Rogas? quia quot-*
quot hic vides:
Stare, aut sedere decreuerunt, tù paras Viaticũ
Volentibus quiescere ætatem integram.
Part. *Cum stipite loquor dedolando fustibus.*
Non ego quicquam Viatici Auditoribus
Aio parari: Sed Diuæ properum hinc iter
Paranti. Sat. *Stultius hoc reor.* Part. *Quid ita?*
Sat. *Quia si Dea est*
Viatico vestro indigeat? Part. *Saxum alloquor*
Poetico scalpello incõplanabile: non isthic damus
Mortale quicquam Reginæ Immortalium,
Sed nostri cordis vota per clandestinas argutias
Quas ipsa nouit, docuit, persuasit, dedit
Tollimus in Astra. Nam Virgo Cœlum tenet
Mortalitatis confecta via. Sat. *Omnium hoc*
stultissimum est.
Part. *Quid isthuc?* Sat. *Tu ipse dixti: quia postquam*
illa confecit viam,
Tum verò cogitatis de Viatico:
Nil potuit cogitari incogitantius.
Part. *Diuinat noster Battus mente saxea.*
Quid dicat non laboro: quid dicere debuit in-
telligo.
Anacronismis hæc poesis claudicat.
Neque Diua priscum sæclum, neque nostrum hoc
refert:

Quin

Quinimo vtrumque lege confusanea
Permiscet exlex. quid tum? tempori consultum est pessimè,
Aeternitati sed consultum est optimè.
Illi studemus vnicè, & noster hic Amor
Reginam sæculorum complexus, nequit
Aeuo vno continerier: in sinu Dei
Diuam ordinatam reperit ante sæcula.

Sat. *Abit extra sæcula, opinor, ita non intelligo quid ganniat:*
Abibo ipse etiam: sed quando hi viaticum
Præbent abeuntibus: aliquid mihi corradendum est prius.
Alieno sumptu victito salubrius. Part. *Ad præsepia*
Solita redibis. Sat. *Vacua sunt: da pabulum*

Part. *Volo pabulo saturare virgeo Capri huius tergora.*
Gero morem. da manticam huc. Repleuero

Sat. *Mihi sinus, ilia, scapulæ sunt pro mantica*

Part. *Manta: cape hac. habe isthæc etiã, verbero*

Saty. *Non verbero, non verbero sed vapulo. Nescit*
Heu solæcismum scapulis impegit meis (loqui.
Nempè hi sunt sentes: sentiuntur maximè.

Par. *Ita capros abigo spinis, vt seruem rosas*
Benedictus istæ iuuenis edocuit suos.

Saty. *Mihi etiam horrescit hortus: pro pungentibus*
Vrentes herbas referam: nec quieuero,
Vrticis donec illi lectum oppleuero.

Part. *Abijt scelestus: abijt veterator: abeat*
Nec redeat vnquam. nam si maleficum semel
Sodales nostri exceperint in Familiam;
Actum est. quos ludos faciet. quas turbas dabit!
Mentem vulpinam possidet caprino tectã corio

Verberat Satyrũ flagello spineo.

Sed

Sed quando abijt proteruus ille: pertinax ego sić
Si stetero. Nostis enim quid agatur hic rei.
Nil artis est dramaticæ in hoc non dramate,
Sed Amoris erga Virginem quamplurimum est.
Cui festinanti per montana Viaticum
Damus cibatu, Syngraphis, pecunia.
Sapienti pauca. Amanti, quampaucissima
Sufficiant hæc. Reliquos qui nec sapiunt, nec amant. nihil moror;
Abeant viam longinquam: & sine viatico.



PRO.

PROMICONDVS

ACTVS PRIMVS.

Amantius, & Prudentius Sodales Eroparthenici.

Am. QVID *igitur illa?* Prud. *exurgit properè.* Aman. *Nec mihi cor sedet Diua exurgente. Sed quò tam properam fugam?*

Pru. *Iter illi in montes.* Aman. *O montes posthac mihi floridissimi*

Valles, valete. at cur in Montes? Prud. *Astra versus scilicet*

Cui placeant supera, euiluerunt infima.

Am. *Quid Astra curet? Si Solem gremio simul, & vultu gerit,*

Nonne ipsa Cælum est? Prud. *Certè Orientem aperuit mihi.*

Am. *Verum hinc si abibit, iam mihi Occasum dedit*

Pru. *Verũ hinc abibit,* Am. *Abijt ex animo animus:*

Non sum apud me. Prud. *Si apud illam ego sim, mihi est satis*

Am. *Vt simus vterq; secum, Vterq; concapessamus viam:*

Non longa erit amantibus. Prud. *Elisabetha domum*

Visere in animo est, vt gratuletur hospiti

Fata, cui paritudo appetit in senio vltimo

Am. *Aliud ex alio mirum: stimulum addis nouum.*

Impendio magis animus ardescit mihi, me comitem addere

Quid

Quid stamus hic? Prud. *Non illa secum admittet comitem extrarium.*

Am. *Quid ita verò?* Prud. *Quia postquam affata est Angelum;*

Muta effecta est ab humano alloquio, & consuetudine.

Ita sibi satis est: quia secum tenet omnia.

Am. *At nobis elabũtur omnia, si Diua vna elabitur.*

Sentio me morti deditum, Prud. *Quidum?*

Aman. *Rogas?*

Animo abeunte potest ne quicquam viuere?

Pru. *Dum viuit Amor in pectore; nil potest mori.*

Am. *Obsecro te, Prudenti, quandoquidem non temerè ex prudentia*

Nomen tibi hoc euènit. Prud. *Iure & Amantiũ*

Ex tanto Amore in Virginem te nominant.

Am. *Cum tibi sint corde instructa consilia optima,*

Rogo per tuam Fidem te, nunc verò etiam atque etiam cogita, vt

Aliquod alicunde, aliquo modo, aliquando priusquam illa hinc eat,

Amoris ex me monumentum dignum ferat.

Quid ergo censes? Prud. *Cum sodales cæteri viaticum*

Peregrinæ adornent Virgini opere maximo:

Id nos metipsos facere oportebit: nisi quid tamen tua

Secus sententia est. Am. *Nunquam æquè, ac modo mihi*

Paupertas visa importuna, & misera, & grauis.

Quid illa dignum proferam ex censu meo?

Sed isthuc etiam excrucior: durior mihi mater est domi,

Quæ primo ætate dissipauit dotem cũ re patria,

Nunc

Nunc mordicus restricta, viuere cogit nos ad miseriam,

Pru. *Euam Parentẽ appellat, quæ comeso patrimonio Depauperauit Adami omnem Familiam.*

Am. *Sed scio quid agam; ita facio prorsus: afferam Manum bonis, si quæ sunt, reliqua: nil relinquam in Aedibus*

Neque vas, neque Vestimentum, cõuaso omnia, Omnia produco, & vendo, vt pretium colligam, Talenta, & magna conferam in Diuæ sinum. O Diuã, & ò sinum. obolum in thesaurũ ingerã. Placet Consiliũ? Prud. *vt placeat consiliũ mihi. Factum haud placebit Virgini.* Aman. *Nunc verò enecas*

Me. Quia nam! Prud. *Rogitas? Iustitiæ parens Rẽ velit abrasam furto de matre?* Aman. *Quasi & ipsa de Patre*

Summo furata gnatum non sit. Prud. *Rapere Cælituum bona*

Vbi possis gloriosũ deputo; at quæ sub Luna iacẽt Viles diuitias capere furtifica manu Illiberale facinus, indignum est nefas.

Am. *Omnium ego rerum Dominatorem corde conclusi meo*

Ille Imperauit vt rapiam, sine causa me furti arguis

Pru. *Non satis Intelligo.* Aman. *quia multum intelligis, nec multum amas.*

Pru. *Expone rem.* Aman. *Nonne triumphat amor de omnibus?* Prud. *ita sit.* Ama. *igitur,*

Amor omnium Dominus est: huius ergo nutu si quid palam

Rapis, aut furtim corradis, quid agis? Domino restituis suo.

Prud.

Pru. *Restitue tete in integrum. Non sanus es*
Am *Nolo consanescere. perge.* Prud. *Virago qua dat*
sese in fugam,
Neque permutanda per viam pecunia patitur
moram
Ita festina est Amans, & euitat hominum
Congressus, ita coagmentata vni Deo
Res sibi suas habere gaudet in sinu,
Frustra pecuniam intrudes, Am. *Non frustra ego*
Igitur cibaria praestinabo & pocula. Prud *Hoc*
delibera,

Satyriscus, Amantius, Prudentius.

Saty. *REdeo redacto in fascem senticeto & horto, vt gratiam*
Bene aculeatam referam spinoso meo
Scapulari Creditori. Aman. *Nam quid habeam*
priuata in domo
Dignum Regina? Saty. *Video ne duos ex infenso*
mihi grege
Parthenidum? Aman. *Sed aliquid inueniendum*
est tamen,
Saty. *Nunc vlciscendi prima est opportunitas.*
Hinc verba excipiam clanculum. Aman. *Iam*
repperi,
Audi nunc. Prud. *Quid narras?* Aman. *Apothecam aptabo illi portatilem*
Diuisim onustam vitreis laguncul is, plenissimis
Vino rubello & albulo mordentibus suauissimè,
Cum aromatis, vt sitim restinguat, & Amoris
curas lauet.
Prud. *Lauas Aethiopem tu, qui vina dono das*
abstemijs.

Saty.

Saty. *De Vino fabulantur: In amicitiam statim suã*
Redire cogent me: namq; vna vini mentio
O quantam scabiem faucibus immisit meis;
Prud. *Nazzarena illa est, vina & vinosos odit:*
Aman. *iterum enecas*
Me. Saty. *Vt ille Baccum mactet exilio meũ?*
Non ego sinam.
Quid est cœna sine Vino? est corpus sine anima.
Aman. *Quis garrit hic?* Saty. *Non garrio, Neque*
enim sum auis: caprum vides.
Aman. *In tempore est hic Satyrus? nam ferendis*
oneribus
Cibarijs eris in rem nostram. Saty. *Vtimini.*
In Vestrum me gregem recipite: rem summam
cibariam
Mihi concredite, homini perdocto œconomicam
scientiam,
Dico, Coquinariam. Prud. *Amanti.* Am. *Quid*
ais? Prud. *Vis iuueni stulto mihi*
Credere? Aman. *Quid ego faciam?* Prud. *Iube*
hunc ire hinc procul
Saty. *Gula me hic alligarunt: frustra pedibus nunc*
suadent fugam.
At quò vis abeam? dic. Prud. *abi hac, illac,*
isthac, istorsum. abi
Quoquò hinc terrarum, præterquam vbi su-
mus nos, perdite.
Saty. *Perdis operam tu hic, isthic, & alibi, & vbi*
Cumq; mihi quicquam iusseris. Aman. *Opera*
tua mihi opus erit
Paulo post, interea verbum caue faxis.
Saty. *non mutiuero*
Nec longè abero, Prud. *Nunc perge de Viatico.*
Aman. *Igitur panem primarium cum edulijs*

Opimis apparabo in cistam argenteam.

Saty. *Mihi vna hæc cista desert centum vota, & spes cœnaticas.*

Prud. *Non hic tacebit?* Saty. *st. st. abeo.* Prud. *Tu plumbeus*

Es isto cum argento: qui Diuam pondere
Grauas properantem: more militiæ leuis
Depugnatum it cum perduelle Tartari
Eximat vt Satanâ obsessu affinem infantulũ.
Victu Castrensi; perparco, ac tenuissimo
Vt ne addam, angelico, gaudet. Aman. *Væ misero mihi:*
Duram cæpi prouinciam irato Deo.
Sed audi: Nunc venit in mentem alimentum per quam tenuissimum

Prud. *Expecto quid dicas?* Ama. *Ad Gangem in Indijs*
Ad Gangis, inquam, fontem fama est flosculos
Et radices mirabiles adnasci: Earum nominis
Non memini hic Ego malo cum magno meo.
Fer opem tu nominalem, si rem Intelligis.

Prud. *Neque Nomenclator ego sum, neque Onomasticum mihi est domi*

Ama. *Sed circumscribam, ausculta.* Prud. *Operam omnem tibi dico.*

Aman. *Gangeticæ plantæ illæ fundunt halitum*
Et odoramentum succiplenum adeo, vt Regionis Incolæ
Fasciculos floreos Viatici loco
Ad longiora Itinera secum deferant,
Odoribusq; olfactis cohibita fame
Vitam bellè sustentant. Prud. *bellis fabulis*
Pro pabulis se reficit isthæc Natio
Gangetica odorifaga. Sed vt dictis accredam tuis

Quid

Quid inde tum? Non stirpium, non florum Virgo est indiga
Iesse radicem gremio concepit suo.
Quam germinatu Numinis in florem erudit: quin vbera
Inter morantem Myrrhæ fasciculum gerit,
Cuius ab olfactu primo seruatus trahet
Vitam Ioannes. Deinde vero in Indias
Delegas me in re subita? credo, tu anchoras
Credo & rudentes expediuisti in triennalẽ viã
Vix temporis punctum est ad rem hanc te nẽpe maneat Diua, dum
Vento lento, naue ignaua, ripæ rapidæ appellas redux?

Aman. *Ad mortem me appulisti, dũ cuncta improbas*
Quæ cupio, quæ dico, quæ mecum excogito
Age age, cedo nunc tuum consilium quodnam id est?

Saty. *Redeo reuisum, quid consilij ceperint.*

Prud. *Abs te seorsim sentio.* Aman. *Qui dum?*

Prud. *Si quidem pro potu aquam,*
De Fonte puram traderem in Vrna Samia quam leuissima

Satyr. *Leuior leuidensa es, qui Viatoribus aquam male ingeris*
Si peregrinanti etiam aqua de Cælo cadens incommoda est
Excepta pallio; quid stomaco admissa hæc terrea? Prud. *Scin, tibi*
Quid dicam Amanti? Aman. *Quid ais?*
Prud. *Mitte rus rurestrem hanc belluam*

Saty. *Murem ex farina extrudere frustra eniteris.*

Prud. *Hoc edico tibi, nisi hic abeat protinus,*
Ego iã abiui Ama. *Expecta dũ. Nostin, Caper,*

Extrema Platea angiportum? Saty. *Vbi est macellum..* Aman. *Quin ibi*
Prope est Sacellum Virginis. Saty. *Ad sinistram, censeo.*

Aman. *Ad dextram, inquam, vade hùc rectà nulla erit erratio.*
Ibi me manebis, ad SacellumVirginis. Saty. *Intelligo: ibi, ad proximam*
Cauponam prope stabulum Crassi me reperies

Aman *Hoc age Prudenti.* Prud. *Aqua sitim Domina estinguet simplicissime*

Aman. *Nil mentis habet admixtum simplicitas isthac tua.* Prud. *Quippini?*

Aman. *Quia fons tuus hic non tollet à Diua sitim*
Sed sitiet ipse Diuam amore exæstuans.

Prud. *Amore abundas: omnia de Ingenio tuo*
Metiris.. Aman. *Agedū pro cibatu quid dares?*

Prud. *Aures mihi da.* Aman. *trado animum in auribus.* Prud. *Nonne vna è Cœlitum*
Choro diua est? Aman. *Non censeo.* Prud. *peccas largiter*

Aman. *Facile pronuncias.* Prud. *Quia nam?*
Aman. *quia facis vnam de Choro*
Illam, quæ supra omnem chorum est, quæque optimates Cælitum
Post se relinquit interuallo maximo.

Prud. *Dixisti pulcrè? Vide an & pulchrè sis memor.*
Meministi ne olim vt fuerit concænatio
Cælituum in terris? Non tenes Diuum optimos
E Cælo aduenisse hospites mortalium?

Aman. *Teneo immortaliter.* Pru. *At quibus cupedijs*
Excepere illos, patres nostrorum patrum? credo excidit.
In valle Mambra: Aman. *Tres Cæli primarios*

Iuue-

Iuuenes allexit Abraam. Prud. *Rectè, post, Sarà?*
Aman. *Tria sata simila miscuit*, Prud. *Eruditè, an azima?* Aman. *ita reor*
Prud. *Ratum habeo: tum panes excoxit*. Aman. *Feruido*
Sub cinere. Prud. *Totam rem tenes*. Aman. *Quid conficis?*
Ea re? Prud. *Libamen tale confice tu, & rem conficis*:
Aman. *Regales verò tu epulas Reginæ apparas*,
Aquam & panem cibarium subcinereum:
Vt etiam ineptit Octauus sapientium?
Prud. *Atqui illi gelida opus est*. Aman. *Quidum?*
Prud. *Numine calescit plus satis*
Amorisfebrim patitur, nunc in Syncope est.
Aman. *Quid azimum?* Prud. *Qua transit illa, Pascha celebratur dies*
Ergo azimis concelebrandus more Veterum.
Aman. *Natu panē isto & aqua non paschatis celebras solemnia*:
Sed ferias esuriales agis, & ipsa cineralia
Prud. *Ignem illa gestat pectore, ea propter Cinis*
Igni fouendo inseruiet. Aman. *Satis tù liberaliter*
Prud. *Vt alij Canis inhiant, illa sic satura est Ieiunijs*
Aman. *Ieiunus es, amara est tua hæc sententia*,
Mihi hoc tecū non conuenit. Non Diuā amas,
Tam parcè dum illi consulis absq; incommodo, & sumpto obsequens.
Ego meum defraudabo genium, ego de meo
Demenso etiam comparcam, longa inedia
Vt illi obsonem largiter. Prud. *Sed video ne*

Melidium præcentorem nostræ Virginis aduenire. Aman. *Quam*
Timeo, ne Diua cantet hic factam fugam.

Melidius, Amantius, Prudentius.

Mel. *DVm Vos foris cunctamini; intus cæteri*
Festinant. Aman. *Quid festinant?*
Mel. *Certatim obsequi*
Dominæ abeunti. Aman. *ain verò abit iam?*
Mel. *Iam apparata est vndique.*
Aman. *Ego me in pedes ad illam.* Mel. *paulisper mane:*
Non opus est intro te ire. Aman. *Qua causa?*
Mel. *Quia*
Secessit Diua *ad intimum cubiculum*
Genuq; strata Deum propitiat itineri
Aman. *Propitium est mihi numen. Namque vbi Deum alloqui*
Occæpit illa, abstrahere se se illic nequit
Ad multas horas: mihi Spatium interea datur
Parandi cõmeatus: ibo hinc ocyus. Prud. *Euntem sequar*
Mel. *Ego vero hic stetero; nam video haud procul meos*
Commilitones harmonicos. Factum bene.
Ipsos quærebam. Nobis carmen scilicet
Modis est concinendum modulatissimis.
Extrema hic alea iacitur: canora vis
Diuam vt detineat destinato ab itinere
Ne nos relinquat. Spes omnis Sodalium
In nobis est. Ergo priusquam Virgini
Coram occinamus, exercenda vox erit
Et exploranda vires ad Victoriam.

Condiſcite carmen, proloquar, Mox carmen & cantum date.

Chorus Sodalium ſimul, & Melidius ad Dominam, ne diſcedat.

CVi nos miſeros Diua relinquis
Diſceſſu exanimes tuo?
Nos te primo Sole vocamus,
Prima te iterum nocte precamur
Nos te ſummo Sole precamur
Summa te iterum nocte vocamus.
Millies tibi Salutem
Et voce damus
Et corde damus,
Tu ſi recedis, quid dabis?
Morbos centum, mille dolores;
Facis heu nobis funus acerbum
Mater cum ſis.
Siſte precor, conſiſte, tuis iam conſule Mater.
At ſi Diua parum Natorum clade moueris.
Quo te rapis citata?
Praſtat quies tumultibus.
Quo te rapis per aſtum?
Vmbra virent ſalubrius.
Quòd ſi rapidos diligis aſtus:
Mille hic ardent incendia pectorum.
Quod ſi rapidas diligis auras.
Mille hic ſpirant ſuſpiria cordium.
Siſte precor: conſiſte, tibi iam conſule Virgo.
Hic te prata vocant florenti ſplendida luxu.
Tu Montana ſubis per inhoſpita tecta ferarũ?
Saxa petis fugiens; & nos hic ſaxa relinquis:
Verum, duras, i, preme cantes

An non illis durior ipsa es?
Nam quæ te pietas edocuit sacram
Odisse & patriam, & sanctos liquisse parētes?
Non ego crediderim te iam discedere, Virgo,
(Sic spondeo, sic Iuro Sodalibus)
Consistes: Nam coget amor, pietasq; Fidesq;
Quod si tamen nos deseris,
Nec posthac redamas tuos amantes,
Nec posthac recolis tuos parentes:
Prope iam dicam, prope iam dixi:
Nulla in terris
Restat pietas, & nullus amor:
Siste precor, Consiste. Deo iam consule Diua.



TRA.

ACTVS SECVNDVS.

Seruilius. Dromio silens.

Seru. CEDO nunc Macharam: quamuis armatus satis pro Virgine
Amoris centum iacula gesto cordis in pharetra mei..
Vbi cingulum? transuersum pendeat arctius
O quātū cingit me militia Virginalis baltheus,
Ex quo volens, valensq; mea Augusta sacramentum imbui
Clamydē vialem non das? satis est. abi,
Imo etiam ades, ocreæ mihi sepositæ, quibus
Arceo lutum, & imbrem cura, vt in promptu sient
Camelum etiam curato, quod vbi factum fuerit; me admone.
Vestiat o sic me charitas cinctu aureo. pallium sumit.

Lucretius, Seruilius.

Luc. NVnc verò amastis me Diui Immortales. Ser. *Nunc ego Cælites*
Amicos habui, Lucr. *Quibus in gaudijs ego sum?* Seru. *hem paratior,*
Me nemo est. Lucr. *Nemo est me ditior hodie.* Seru. *meritò Seruilius*
Nunc vere appellor. Lucr. *Meritò nunc ego vocor Lucretius:*
Seru. *Quod totus in eo sim, vt Diuæ inseruiam.*

Lucr. *Quod sumptum in sumpsi magnum in Diua gratiam:*
Nam si quid ego impensæ facio pro Virgine
Lucrum me facere dictito, & sic sentio.
Syngrapham ego scripsi duplicem. Seru. *ex duplici Syngrapha*
Lucretij cum Socijs omnis est mihi transigenda res.

Lucr. *Vt Seruilius itineribus faciundis quam promptissimus*
Cursu volantem Virginem anteuolans, diebus singulis
Locisque, nomine meo aurum accipiat ex argentario
Socialibus mecum nexo rationibus
Atque hinc Reginæ paret hospitia de meo regaliter,
Et iam credo abijt, & primam recte procurauit diem:

Seru. *Sed quis hic loquitur?* Lucr. *Video ne hic seruilium, ô factum male:*

Seru. *O factum bene.* Lucretius *hic est.* Lucr. *Etiã tu hic nectis moras?*
Testudo frigentissima, cochlea expers sanguinis: ita ne?
Neque Fidem mihi pactam, age, mitto fidem priuatam, sodalium
Non iussa, non tu odium, ac simultatem omniũ Reuereri saltem? ô facinus indignum, infidum caput.

Seru. *Plus satis iratus es.* Lucr. *An non tu promiseras?*

Seru. *Quid ego promisi? aut quid aliud tibi vis, nisi vt hospitium præparem.*

Diua

Diua de Singraphis hisce tuis? Lucr. *Siquidem hac*
Fit. Seru. *Siquidem. quasi hic maior tua res agatur, quam mea.*
Lucr. *Sic neque mea, neque tua agitur.* Seru. *Quid ita?* Lucr. *vt diei tempus est,*
Oportuit te abiisse iam dudum longius,
Ne Diua aduentus anteuertat nuncios.
Seru. *Non illa me anteuertet: nam quadrupedem velocissimum*
Conscendere, ingredi, currere, volare, metam tangere
Res eadem, ac tempus vnum erit. Lucr. *animus in pectus redit:*
Sed tamen interea quid fit? Luc. *Interea mihi*
Camelus accuratur Stramentitiis,
Interea Diua precibus insistit, gemit
Errata nostra, grates pro illatis agit
Muneribus, noua deposcitatque adeo dum temporis datur
Modicum quid votis, aliud quid lacrymis, nonnihil suspiriis,
Moras auget dolor: moras exauget amor: Spatium datur
Parandi omnia. Lucr. *beasti me: omnis ira consedit mihi.*
Seru. *Mihi verò in te consurgit.* Lucr. *Quapropter quaeso?* Seru. *Rogas? quia*
Moram mihi affers maximam. Lucr. *Nugas meras.*
Seru. *Aurum mihi prabes per Syngrapham, longum nimis negotium.*
Lucr. *Quid ita dum?* Seru. *Nam quid si ego non reperio contrapezitam tuum?*

Quid si repertus aliquid causæ capiat, ut
Ne soluat. dicet nempe. dubia est tessera.
Hodie prolata res. Numerator non adest. fu-
nus domi est.
Redibis cras. Mihi si unum ex his acciderit,
ego tecum occidi.
Curnon tu potius argentū hic numeras mihi?
Lucr. *Sine numero numeraui,* Seru, *cui?* Lucr. *Cui*
non? Egentibus, & mea
Reginæ in gratiam poscentibus dedi
Libens aurum, atque argentum graue cum si-
gnato, restat nihil
Seru. *Bonus hic Trapezita est, ut omne statim ex-*
pedijt Negotium?
Probus est, & computator, verbo qui unico
Subduxit omnem rationem, Restat nihil.
Laudo benignum: mallem parciorem.
Lucr. *Nemo auarior*
Me est, dono terrea, & refero cœlestia. Sed
tamen mihi
Reliqua sunt in nominibus plura; & pluscula
Gestas in isthoc Syngrapho. Ideo adeò te etiam
atque etiam obsecro
Vt nitidè, lautè, regiè, augustè meā sūptu meo
Reginam accipias. vti ego corde amplo, ac pe-
ctore penitissimo
Exceptam illam detineo. Tu vero? Ser. *egone?*
non illam quidem
Detineo, sed illa tenet me; nec traho; sed traher
Sequar ecce quoquo hinc illa abscedat gentiū
Neque æstum, neque frigus timeo, neque ven-
tum, aut pluuiam aut grandinem.
Per tela & flammas consequar flammam,
& telum meum.

Lucr.

Lucr. *At est opus.*
Præcauto;ne te comitem illi fore sentiat.
Rem Diua diuinam agit: humanos non admittit arbitros
Seru. *Longe ante ibo ac parabo. Sed quo maximè id fieri loco*
Cupis? Lucr. *vbi cupere illam arbitraberis magis.*
Seru. *Hoc mihi consilij est, vt prima itineris die,*
Quo Virgo Sunam adueniet vrbem nobilem
Diuertat ad Cænaculum celeberrimum
Lucr. *Intelligo iam satis, vbi Sunamitis Mater familias*
Inter summates fœminas clarissima
Magnificè accepit vatem primi nominis
Elisæum. Seru. *Ibi lectus, Sedes, triclinium*
Cum candelabro visitur Magni Vatis, Summa est loci
Religio, Lucr. *Rectè, sed tædam Virgo sinu*
Gestat, cui vix candelabrum sit hæc rerum vniuersitas,
Ser. *Auspicio id fiet optimo* Lucr. *Cur quæso?*
Seru. *sterili fæmina.*
Elisæus olim eo loci prædixit partum prosperũ,
Nunc credo fortunabit etiã Virgini partũ mea.
Lucr. *Ineptè.* Seru. *immo aptè.* Lucr. *Indoctè.*
Ser. *imo eruditè,* Luc. *imo stultissime.*
Seru. *Quid isthuc?* Lucr. *rogitas? Diua partus*
Fortuna est rerum omnium
Vnde auspicanda est hominibus fælicitas
Quo non fauente cadit inprosperè quantum est, & quantum erit
Fuitque diuinatorum cum diuinationibus
Ser. *Diuinitus dixisti* Luc. *Quid verò tu humaniter*

Die secunda facies erga Virginem ?

Seru. *Die altera in Vrbe perfugij Leuitica*
Dabitur hospitium comparatum litteris hisce alteris

Lucr. *Fido has reddes amico. quem Aggaum vocant :*
Festiuè excipiet vos. Ser. *eius nomen sonat*
Festiuitatem .Lucr. *merito. vt festiuè apud illum Diua se habeat*

Seru. *Imo Diua est Festiuitas, Diua est lepor*
Diuum, hominumque, ex se faceret festiuum locum
Siquid inamanus esset. Lucr. *Hoc etiam bene :*
Quod Vrbs illa est tutissima perfugiũ omnibus?

Seru. *Quod est Vrbs illa miseris; hoc Virgo est mihi :*
In illam, tanquam in perfugium & arcem migrant
Spes, Vota, Curæ, Lacrymæ, Suspiria, ibi habito.

Lucr. *Sed illud est incommodi. penuria.*
Vini laborat Ciuitas. Cælo sacri
Leuitæ in potu maximè sibi temperant.
Quid ergo facies? Seru. *cum talentis, quæ mihi*
Sunensis ille fænerator soluerit
Negociali argento sociatus tibi,
Adibo magni sponsi notam Regiam: ex cellario
In quod sponsam introducere solet, strenuum
Emam phalernum lautè vnguentatum aromatis
Hos Diua in se Dei liquores inuergere summè expetit.

Lucr. *Laudo. Vide illud etiam: ne præter domum,*
Tibi commodatam, amico sis incommodus.
Seru. *laudabis hoc*
Etiam: seruos pretio pacto mecum ago
Quot reperi, quorũ sit cautio, Diua occurrere,

Diuam

Diuam inuitare, ducere, tollere pallium
Soccos trahere, soleas dare, lectum sternere,
Cœnam apparare, succenturiata affatim
Dape, ministrare. Luc. *lautè munus admini strasti tuum.*
Seru. *At hoc ad vsum pertinet, & necessum est: illud iam facit*
Ad pompam: Musicorum turbam conueho
Citis quadrigis mecum, instructos omnibus
Harmonicis machinis, vt ad hospitium meam
Diuam compellant, & curas & tædium
Et lassitudinem itineris eo musico oblectamine
Depellant Lucr. *Nunc enim verò cordis mei*
Chordas impellis musicè, & genialiter:
Vota exæquasti: propera nunc. Seru. *In me mora*
Nihil est: imo & Cantores ne in mora sint: conueniam ocyus:

Satyriscus
cum œnotheca portatili.

CEntum doctorum hominum consilia vna euincit Cæcula
Et fatua muliercula, quam Fortunam vocăt.
Ego verò qui fortuna hac vti tam scite nunc sciuerim
Sum plebis scito scitior: quippe etiam tergore sapio
Sapore vini, cuius vi vincitur omnis sapientia.
Meos hostes parthenicos vlcisci probè
Volebam flagris, nunc flagitio fortunæ simul, ac meo
Percutiam melius illos harpagonibus:
Vah promptuarium temeti asportatile

Mih

Mihi credidit Amantius . amentiam hominis:
Quem Lupo concredidit , vt Seruilio
Cum domina abeunti traderem in Viaticum,
Sanè hoc viatico reductus ego sum meliorem in viam ,.
Nam dum dolosam seruitutem seruio
Parthenicis hisce saperdis insulsissimis ,
Arcana eorũ consilia venatus, excepi omnia ,
O quanta , ò qualia intus instruuntur muneralia .
Lucretius da Syngraphas duplicatas argentarias .
Aurelius auro cudit centum lumina
Solida moneta, quæ cor mihi de solido fecere liquidum :
Ita contabesco aurarijs desiderijs.Satyrisce , nunc
Nunc expergiscere : vides hic quot, & quales hostes habes ?
Non ferro accinti sunt ,sed auro , argento , commeatibus
Opimis, ducunt secum ingentes copias
Quid vnus facies ? quid ? bibam , vt timores omnes expuam .
Bene est , Non est quod dubitem,non est quod timeam , ita meo in
Pectore paraui copias duplices , fraudem atq; audaciam
Cum factis adeo maleficis , & dictis falsiiurijs
Facilè vt vincam , facilè vt despoliem perduelles hosticos .
Aggrediar, congrediar, totum primum exaurabo Aurelium ,

Lu-

Lucretij lucra mihi lucrifaciam, agam
In seruitutem sordidam Seruilium,
Inamanum saxo Amantium, & inamabilẽ
Dementabo Prudentij sapientiam:
Verum ne demens ego sim, dum alios arguo dementia,
Nostras in ædes capriles hinc asportabo Armarium
Hoc poculentum, scilicet vt certa in loco
Tuto reponam, post, incerta persequar.

Harmonillus, & Seruilius.

Ser. *AVdire sonitum mussitantem musicum*
Modo visus mihi sum, atque Eccum video splendidum
Voce Harmonillum, quid moramur? vbi chorus? quid agitur?

Har. *Memoriæ cantilena mandatur.* Seru. *Quorsum nouus hic labor?*

Har. *Vt ne hæsitanter, intercisè, vitiosè vox effluat*
(Quod sæpius contingit nostris Musicis)
Sed emẽdatè, & expeditè sponte cordis emicet
Sensuq; verborum in animos euibrato persuadeat

Seru. *Macte nouo hoc studio, meditare, ac veni cum reliquis ocyus.*

Har. *Mox adero: Interea hæc sunt in causa Musica.*
Ego primus ibo in Collem hospitio proximum
Atque vbi Dominam venientem videro, signum dabo:
Chorus hinc, atque inde canoris obsidens insidijs Dominæ iter

Præ-

Praſto erit : amoris noſtri primum argutias
Sic harmonicè iaciemus inter nos.vt illa exaudiat :
Tum factam propius multiſono inuitatu comprecabimur,
Hoſpitium vt ſubeat. hoc addiſcendum omnibus.
Eſt : Incipiat nunc ergo aliquis veſtrum ò ſocij, & me interroget.

Chorus,&Harmonillus occurrentes Dominæ,vt Hoſpitium ſubeat.

Cho. *DIc Harmonille, dic*
Numquid vidiſti tu ? Numquid
Audiſti de noſtra Diua ?
Valetne Virgo? venitne Virgo huc proſpere?
Dic Harmonille dic :

Harm. *Valet vt ſpero ; venit vt credo :*
Dulce nimis ſperare mihi eſt. & credere dulce.

Chor. *Nimis diu ſperauimus,*
Et plus ſatis iam credimus,
Dulce nimis ſperare, & dulce eſt credere amãti.
Sed ſpes abi malam in rem ;
Veni huc amænum gaudium.
Pereat fides ex auribus
Interfecta oculis experientia.
Dic Harmonille certius :
Tolle dubiola, & da perſpicua
Valet ne Virgo, venit ne Virgo huc proſperè:
Dic Harmonille dic

Harm. *Venit en Virgo, credite. video*
Valet en Virgo, ſentio : teneo
Nam conualeſcit cor mihi.

Chor.

Chor. *Venit illa?* Harm. *venit.*
Chor. *Venit salus cum Gratijs.*
Valet illa? Harm. *Valet.*
Chor. *Secum valemus ipsi*
Euge valemus
Bis Valemus, ter Valemus, si semel Virgo valet.
Harm. *In cor mihi medullitus*
Promptior acri Sunamite venit:
Fortior ipso Sampsone valet;
Cordis en totas labefactat ædes
Nec ruit ipsa.
Chor. *Ades ò mea Imperatrix:*
Quò cum phalange Amorum?
Hic tibi semper vigilant amantum
Castra tuorum.
Quò te Puella mater?
Iam prima inhorret Vespera,
Ah ne te Noctis vibrata crepuscula lædant:
Ades huc tandem, sub tecta veni,
Vesper inhorret.
Fallimur heu heu: nostris oculis
Vesper inhorret, Dominæ gremium
Semper inaurat Lucifer unus,
Hoc ergo magis bona Virgo veni,
Non sibi lucet lucifer iste,
Nobis oritur, nobis pariter
Occidet idem:
Nos virgineo candidus ortu
Nos purpurea morte peremptus
Dulce colorat. Ades, ò Virgo,
Non te Auroræ nomine celebrem;
Si Luciferum mihi dura negas:
Sed tu potius de Sole doles.
Solis de radio decolor ardes

Nostri

Nostri pectoris ardor ;
Solis de iaculo saucia langues
Nostri vulnus amoris .
Huc age non alibi regnat fragrantior vmbra .
Cant.1. *Cedrina tecta nitent.format laqueare Cupressus*
Huc age,non alibi spirat clementior aura,
Tercentum Zephiros tibi
Ex alto trahimus cordis anhelitu ;
Et ciemus rorulentos lacrymis fauonios
Nimis ah nimium lassa viarum es .
Hic tibi lectus
Cant.1.*Flore laboratur vario. Succede beatis*
Diuina per spectacula
Oblectabere somnijs .
Hic in rosa cubabis
Spinis mihi relictis ;
Sed cubat in te
Mollius atherea flosculus areola ;
Quin etiam vexata sities. concede parumper;
Cant. *Permixta vino engaddico .*
Regia Sponsi Cynnama fragrant .
Quid mihi titubas , Diua quid obstas ?
Ah mea tandem non eris ? ah non ;
Fugit in Montes Caprea similis ;
Cant.2. *Gremio saliens, hinnulus vrges*
Quid Harmonille cessas ?
Accurre Puer . succurre tuis :
Nam materno hac vincitur animo,
Paruos adamat ,fauet innocuis ,
Retine votis,retine precibus
Procurre , vola , retine,retine .
Harm. *Accurro : Diua, efflagito, obtestor . gemo*
Suspiro,lacrymor , exanimor, morior .

Sed

Sed minimi fuerit pretij mea vita, fatebor,
Quid si tu in media commoriare fuga?
Deficis aestu, Cede sub vmbram.
Cede quieti, fessa viarum es.
Enecta siti es. succede thoro;
Nusquam melius sacri cyathus
Vibrat Amoris
Nusquam ex alto plenius vndat.
Fata recenter, fuge discrimen;
Sub tecta veni:

Omnes. *Quaeso, recenti consule fatui*
Fuge discrimen, tibi non parcis
Mater? puero
Ah parce Deo.



MONETALIS

ACTVS TERTIVS.

Aurelius Cuſor.

INTER *metalla vulgus aurum*
enumerat: ego autem ſentio
Cum illis, qui aurum lapidem eſſe
credunt: verũ hi rurſus diſcrepãt.
Quidam Magnetem lapidem faciunt, quod cuncta attrahat
Bona, opes, voluptates, & præmia virtutum omnium.
Alij verò, quorum nos etiam ſtamus à ſententia
Aurum aſſeuerant, Cordium eſſe lydium
Lapidem, qui verum à ficto amorem ſegregans
Arcanas beneuolentiæ humanæ diuulgat fallacias.
Etenim vbi Amicus vnus indigeat miſer,
Si amicus alter ſurdus aurum ſibi retinet mordicus,
Apage: Manifeſtus eſt amoris nugatorij:
Quicquid benignè dixerat, mendacium eſt,
Aeroſi cordis eſt, non defæcati & integri.
Inde adeo ego, cui de medullis intimis verax amor
Proflatur vnam in Virginem, vt iter illam inceptare audij
Exiguis opibus imparem generi optimo; adſum protinus
Aur emicanti, obrizo, ſignato nouam

Opem

Opem laturus: populus me vocat Cuſorem Aurelium
Quod aurum ſemper mihi conquiram, hoc eſt Virtutum cætera
Metalla poſtputaui amoris præ aureis
Maſsis, quas etiam excudo Magnæ Virginis
Anulo, ideſt facta, dicta, cogitata caractere imprimo
Virginei amoris; hic rerum aliarum omnium
Imagines, memoria deterſit mea.
Verum ne etiam muneris obliuiſcar mei
Aedes adiboDiuæ, vt illi opem afferam viaticã
Ne tarditatis arguar præpoſtera.
Munus iucundum, ideſt, quod ſponte fit obuiã.
Et ſero qui ſolum ſapit, nunquam ſapit.

Satyriſcus.

REuertor præda onuſtus literaria,
Mercurio doctior, Milone valentior
Crotoniate. Nam ſexcentas hic libras argẽteas
Digitis ſuſtineo duobus his primoribus,
Proh Cælites veſtram fidem. vt lepidè mihi
Succedit: quicquid facio, quicquid cogito.
Seruilius, cui ſeruitutem ſeruio per fallaciam
Crura induebat ocreis. Ferebam opem
Intentus operi. Video ex appendicula
Lateris ſiniſtri, è ſacculo, inquam, prominere
has ſyngraphas:
Et video, & cupio, & ſpero, & votum nuncupo fortunæ: audior,
Nam ſtrepitus ingens oritur è ſtabulo. illico
Illuc Seruilius dirigit & animum & oculos, & pedes:

Ego tunc manum extendo vnicam ad summa
capita
Syngrapha vtriusque: veniunt ad me amba
ocyus
Dociles, modesta, agiles, silentiaria:
Proh Iuppiter, quantum hisce litteris mihi
conscriptum est boni?
Neque etenim latet argentum tantummodo
hic Seruilij,
Sed aurum vt spero Aurelij, ita in animo meo
Instructa, ornata iam sunt Sycophantia inelu-
ctabiles.
Sed quid mihi isthæc flagra? abite iam: namq;
alio verbere
Hostes meos percussi, & percutiam probè.

Satyriscus, & Aurelius.

Saty. *SEd eccum Aurelium video: quam ex tem-*
pore est in tempore?
Aur. *Neque Sodales in angiportu ego vspiam*
Inuenio, & inuenio Domina occlusas fores.
Quam timeo ne post festum ad sacrum acces-
serim
Saty. *Imo diem mihi festum institues: animum mi-*
hi aduertite
Quam doctè nunc ego ingrediar Sycophan-
tiam, Seruilij
Nomine salutem tibi nuncio. Aur. *Renuncia*
Illi & salutem ex me. Saty. *Hoc rogat Ser-*
uilius,
Vt si quid auri procudisti Virginis in Viaticum
Per me illi mittas illico? Aur. *Per te? Nam*
quis es.

Tu?

Tu? quid verò tibi cum Seruilio est? Saty. *Ego Subseruilius*
Seruilio sum, seruitute sedula excursorius
Igitur extemplo dabis aurum, vt ad illum hinc excurram ocyus
Aur. *Vt libet, exerce cursuram tu; erumenam ego meam*
Volo conquiescere apud me. vt hic bellus veterator est? mihi
Amicus est Seruilius familiariter
Non ille in Vrbe seruat seruitia hæc ruralia
Saty. *omnium*
Ignarus es, non Vrbis ego seruus, quis nesciat? Villaticam
Prouinciã administro, Res & rationes Seruilij,
Curo omnes; tabulas accepti, expensi, credita cum debitis
Mihi credit opera & operas & opiparas opes.
Aur. *Nam Si thesauros auri Crasus tibi concrederet suos*
Aeris ego vel semunciam numquam tibi mutuo darem.
Saty. *Neq; plures ego facio tuos solidos aureos,*
Quam faciam crassos furfures capitis mei.
Nostin legere? Aur. *Id me interrogas nebulo?*
Saty. *lege, sis, hanc syngrapham,*
Has mihi Seruilius ex Lucretio, vides? intelligis?
Aur. *Certum Lucretij chirographum est, ad Trapezitam suum.*
Satyr. *Danistam ego adibo, accipiam ego pecuniam*
Transactor obsonator, procurator, actor omniũ.
Aur. *Miror cur has Seruilio Lucretius;*
Tibi verò quod Seruilius has, hoc miror magis.

Saty. *Scilicet argumentum ignorantiæ, vt aiunt, admiratio est .*
Ea propter animum aduerte. docebo rem paucis , Seruilius
Dominæ abeunti prodromus è Sodalium
Consulto est factus; nunc volare nititur
Comparet hospitia vt Dominæ. Aur. *ò Sortem incomparabilem .*
Saty. *Sociorum quisq; contulerunt munera*
Quibus ille obsonet, instruat, ornet omnia quã lautissimè
Nunc aurum expectat ex Cusore Aurelio.
Aur. *Similia vero loquitur nunc primũ.* Saty. *Incipit*
Nostrum Cuminum olfacere colũbus rusticus.
Me verò è Seruis vnum Comitem addit sibi
Quòd præcellam alijs in opera cursoria ;
Quòd res mihi mandatas inextricabiles
Sæpius illi expedierim promptè, callidè, percommodè
Aur. *Credibile hoc etiam. Verum si Seruilius*
Prorurat hæc . ergo illum iam conuenero præi, Sequar
Saty. *Ha, hà quam falsus animi tu es? Seruilius*
Hoc tẽporis expectaret? præcucurrit Prodromus
Iam peregrè . distat multis milliaribus
Aur. *Componit hic fallacias . Quomodo igitur*
Tu comes illius exprompti̇ssimus adhuc isthic restitas ?
Saty. *Quasi verò illũ assequi non possim celerrimè :*
Interea multas ille mihi res tradidit
Prius exoluendas; quarum vna est potissima.
Vt te salutatum rogarem . Numquid auri traderes
In Dominæ obsequium, Aur. *Incertus animi sum*

sum Satyr. *huius in rei Fidem*
Has mihi credidit epistolas, vt crederes.
Aur. *ego ne vt tibi*
Credam aurum? Satyr. *Quasi dicas me te*
velle auro circumducere
Aur. *Imo quasi id tu dicas, & ego id iam suspicer.*
Satyr. *Nimium tenes iam me, Morari hic non pos-*
sum sine noxia
Aur. *Expecta dum, quid faciam? Num isthæc om-*
nia ego Virgini
Procudi: quid apud me seruem? Satyr. *Turdus*
viscum circumuolat.
Hero ergo dicam, aurario me ex pumice
In Dominæ gratiam exprimere potuisse nihil.
abibo iam.
Aur. *Mane parumper. Forsan ego. Sed abi, vt libet.*
Nam præstat iterum vt me ad Dominæ ædes
conferam,
Illiq; te stem offerre. Saty. *Risum iterũ moues,*
Aurora vix dum rore liquidum intriuerat ien-
taculum
Soli abscedenti mane, cum iam vestra Aurora
abscesserat?
Aur. *Hem virgo abscessit? Vereor.* Saty. *Nunc salue,*
& vale
Aur. *Desiste, Cape. tibi dico; dic Seruilio.*
Faciat vt obsonatum Virgini opulenter siet,
& omnia
Instructa, ornata lautè, vt Reginam decet;
Omnemq; ad operam faciat sumptum de meo
Hæc si impetrabis, Satyre, tnibis à me magnam
gratiam
Saty. *Non impetrabo? Faxo ita accurentur isthæc*
omnia, vt ...

Discedit Aur. *Ne triobolus quidem redeat ad te domum.*
Num quis hic est ? Nullus est , aliquis ne hinc ad me venit ? Nemo homo est :
Hoccine mihi gaudium erumpere licet: io io
Cor saltat princeps corporis, quiescere pedes est nefas ,
Nunc saltandum est , nunc pes in orbem rotandus est .
Rota quippe fortunæ nostra est , io , io
Bellatum est , debellatum est , hostes mihi stipendiarios
Feci , Rex sum. : imo cæsis hostibus Cæsar sum ? prob Iuppiter
Iniurius es, qui me tot factis benefactis non euocas
Per apotheosim aliquam inter summates Deos.
Mercurium autem Doctorem nihili apud te habes
In Cælo. Verum nihili Cælum facio . Nam Sapphirinum est ,
Marsupium verò hoc aureum: Spolium inclyto
Victore dignum, sed qui expugnaui foris
Hostes. domi interficior intestinis perduellibus ,
Sitis enim mihi ventriculi castellum oppugnauit intimum ;
Ibo prouisum : Nam Imperatori bono
De Commeatu cogitandum est primitus.

Amantius, Seruilius, Prudentius.

Am. *A Deone res rediit nostra, vt ab amicis nulla sit fides*
Etiam ? Seru. *Quid isthuc verbi est ?*
Aman. *Dissimulas quoque ?*

Tantum

Tantum erat incommodi quaso; dum tot cum iumentis iter
Instituis, ferre tecum lautitias, quas peregrina Virgini
Refrigeranda miseram ad te. Seru. *Miseras?*
Neq; ego calidum, neq; gelidum quicquam tui
Vidi vnquam, Aman. *Ain'tu? nempe Satyriscum negas*
Venisse ad te meo nomine? Seru. *pernego.*
Prud. *Satyrum narras miser*
Cuius de perfidia dici, vt dignum est, nequit
Oculos habet vulturinos, miluinas exporgit manus
Videt ex remoto, & harpagat, & trahit, & fugit
Aman. *Ego tam iners tam nullius consilij fui?*
Illi sic fortunas meas me commisisse belluæ?
Pretiũ ob stultitiã refero: sed vtinam illum ego
Scelerosum inueniam: qui nunc si detur mihi
Vt ego illum acciperem? Sacrificarem belluam
Seru. *Verum quid si interea dũ sermones cedimus*
Satyrus ad ædes nostras nos inquiritat? Ibo
sed eccum Lucretium.

Lucretius. Amantius. Seruilius. Prudentius.

Lucr. M*Irari non possum satis*
Tanta vt vecordia innata huic homini siet.
Seru. *Ne metue parata sunt omnia; Camelum iam iam inscendero*
Lucr. *Camelum inscendes? Mente cecidisti miser,*
Seru. *Tuum illud antiquum possides; odiosus es*
Lucr. *At tu furiosus* Prud. *Obsecro, ista parcius*
Aman. *Dilectionis Mater beneuolos amat.*

Sub amoris vexillo centuriati sumus

Seru. *Permittite: dic.* Lucr. *Camelus ex quadrupede factus est auis*

Seru. *Nugæ.* Lucr *auolauit. nullus in stabulo est, apparet nusquam*

In Terris, Seru. *Sine pennis volet?* Lucr. *Satyrus ei pennas dedit*

Seru. *Dromionem adibo stabuli præfectum.*

Lucr *Mane Dromio mihi hac*
Retulit, adaquatum Satyrus adduxit dolo,
Nec post hac visus in ignotum abduxit locũ,
Latronum in Antrum, Ser. *Perij.* Luc. *Nullus ego sum.* Aman. *Ego sum, sed miser.*

Aurelius, Lucretius, Amantius, Seruilius, Prudentius.

Aur. *QVid ego meos sodales video mærori exanimes datos?*
Vnde illis ægritudo, quibus è cælo data est
Sors obsequendi Virgini tantæ? at quid hoc?
An hic Seruilius est? hic est; Intelligo
Nunc quam astutè à Satyro labefactatus siem.
Omnes ego ineptos, stultos, tardos, stultitia ante eo mea,
Qui furcifero illi furi tantam crediderim pecuniam:
Pudet esse me tam indignè ludum factũ belluæ
Sed adhuc magis quæsitum esse istud volo.
Quid si tu pedibus podagrosis incederes?
Præcursor nihili, quid agis? Seru. *Ego verò agitor, vt salsum mare.*
In quod querelarum omnia intrant flumina
Iam quo remedio ex his turbis me possim euoluere?

Aur.

Aur. *Quid tibi negotij obstat ?* Seru. *Cuncta in promptu erant*
Cum quadrupedē vectorem mihi bellua bipes
Satyriscus abegit. Aur. *Illum ego vidi antea*
Onere exultantē nescio quo. Ebriosus grauem
Vinosa mephiti exhalabat crapulam.
Prud. *Hem de tuo cellario despumat.* Am. *vah:*
Dubiumne id est?
Aur. *Sed hæc ludus, iocusq; sunt. præut mihi quæ dedit impudens,*
Namque idem Nebulo, signati auri pretioso marsupio,
Nomine tuo, emunxit me pecudem putidam.
Seru. *Faxo illum facinoris aliquando vt pœniteat,* Lucr. *Imo vt statim*
Aur. *Imo vt iam nunc: quin consolamus illico armata manu?*
Prud. *Ars arte capitur: Nam si aperto marte nos*
Fieri videat sibi obuios; conijciet in
Fugam se, cæcis latebris, vnde cum suis
Inexpectatus aliquando aliud agentes nos opprimat
Am. *Vt tibi videtur.* Lucr. *Quid nobis ergo autor es?*
Prud. *Ni falsus animi ego sum. Flos vini belluam*
Hodie inescauit : hamum glutiuit piscis nemoricola
Redibit. Nam si poculenta hinc abstulit,
Ne sine cæmento ædificet ruinam suam,
Volet etiam esculenta, Ama *Coquinæ odoribus*
Nasum sagacem insufflatus abijt. Pru. *bene est:*
Canis est illectus. Seru. *Sed quid vbi huc aduenerit?*
Prud. *Stringendū vinclis censeo, tum varijs minis*

Terrendum, donec omnem rem faciat palam
Et reddat; post hæc ultioni debita mactabimus.

Aur. *Fallorne? video ne ipsum Satyriscum in tempore se huc recipere?*

Am. *Bene habent principia.* Seru. *accingamur operi, eamus hinc*

Am. *Tu illum Prudenti detinebis, dum huc ocyus Redimus.* Prud *Fiat; hic ex insidijs ero.*

Satyriscus, & Prudentius.

Saty. **E**X *amphoris Amantij, & amphorillis, & semiamphoris*
Tres puto vinidemias, quin puto, tres Vineas
Non bene putatas Massici Montis bibi.
Præcordiorum sic redundant mihi torcularia,
Sed torqueor nouo pruritu. Cœna Amantij
Parata in Domina decumanum Viaticum
Magnifica est: volui dicere, magnetica. pedes mihi
Trahit ad se, & ventri arcanis nodis nectitur,
Condita est condimentis conditissimis,
Quæ possint prorogare vitam mortuis.
O fortuna, ô fors fortuna, vt gemellipara hodie mihi es
Vna in popina Amantij? geminam mihi
Satietatem paris gemellis gaudijs.
Et escam, & potum nempè puerperio vnico.

Prud. *Abortum mihi crede facis; Vita in limine Partum enecabimus,* Saty. *Verū quid hoc mihi Nescio quid animus subito præsagit mali.*

Prud. *Hariolatur probè,* Saty. *Muri redeunti ad escam sæpius*

Quid

Quid si paratur muscipula? Scapula timent puto, ne sibi
Cum Scipione Magno aliquo Duce confligendum siet
Satyrisce vide quid agas? Prud. *Hoc est agendum ne præda excidat*
Heus coque dormis? nõdum apparasti lautitias escarias?
Nondum illas Satyrus accepit Seruili &
Nostro laturus? Saty. *Hostes nostri dormiunt*
Stupore solito, posita non vident ante oculos retia
Montanæ Merulæ: Fabrica hæc certè mea
Equo Troiano est similis, Nẽpe hi sunt phryges.
Ego autem? Vlisses Coquina vero est oppidum
Troiæ fumantis: olla palladium est meum;
Quam pleno sapiam pectore vbi illam excepero?

Prud. *Bene est, in promptu cuncta sunt Cupediæ.*
Saty. *Captanda est igitur sors, hoc punctũ est tẽporis*
Namq; ego fortunam volucri consimilem reor
Vbi primum illi data fugiendi occasio est,
Frustra postilla tentes illam prehendere.

Seruilius, Lucretius, Amantius, Aurelius, Satyriscus, Prudentius.

Ser. P*Rehensus es.* Lucr. *teneris.* Am. *habeo te.* Au. *incidit*
In laqueum laqueus. Saty. *Quem capitis? consistite*
Nam nimium vos aberratis cum his retibus:
Caper ego sum, non piscis. Prud. *Et Caprum aspero*

Condire aceto tanquam piscem nouimus.

Saty. *miserum me. occidi*

Seru. *Non dum: cruciandus enim es prius*

Saty *Heu, quibus pœnis dabor?*

Lucr. *Manus tibi pracidam.* Aur. *geminos oculos exculpam tibi.*

Seru. *Colaphis caput confringam, pugnis excutiam tibi cerebrum.*

Aman. *Dentes labefaciam.* Prud. *laqueo tandem tibi collum obstrinxero*

Saty. *Quid facitis? Nihili erit vestra hæreditas,*
Tot si in particulas illam nunc discerpitis

Prud. *Imo perdere volumus totum hoc nequitia patrimonium.*

Satyr. *Vultisne acquirere amicum vobis sempiternum?* Aur. *Sic. Fidem*

percutiunt illum flagro *Tibi damus,* Seru. *Fadus ferimus.*

Satyr. *heu heu quid demens ego*
Mea flagra isthic reliqui? Aman. *Si tua hac cape,*

Saty. *An me incudem putatis esse, quem simul sic tunditis?*

Prud. *Ferrarij incudem contundunt, nos sumus lignarij,*

Saty. *O Bacche pater, si tu mihi has bacchas bacchantes cum suis*
Hisce nefastis bacchanalibus à tergore
Meo repellis. Lucr. *pellem detractam viuo tibi*
Caprinam illi appendemus pro laterna.

Satyr. *Non erit amplius*
Caprina hac pellis, asinina potius, ita verberibus mihi
In callos obdurescunt Costa, ac tergora.

Aur. *Tibi verò animus obcalluit in malo magis.*

Satyr.

Saty. *Quid ergo, si redire velim in frugem bonam*
Daturne inter vos pœnitentiæ locus !
Prud. *Sed restitutio primum hic attenditur.*
Ablata redde, occultata in apertum refer.
Saty. *Faciam. vnde incipiam ?* Aur. *à prima littera Alphabeti. Aurifur.*
Aurum repende, aurũ Saty. *aura vitalis mihi* — reddit marsupium & litteras.
Quam citò præteruolasti ? at quia sine vita morimur, accipe
Seruili, testamentum Seru. *Quos Codicillos dat hic mihi*
Homo intestabilis ? proh Superi. Lucr. *Video meas ne hic Syngraphas ?*
Seru. *Vides. ò fungum, ò Stipitem Seruilium*
At tu sator Malitiæ, qui tandem has subripuisti mihi ?
Satyr. *Extante capite pendebant è sacculo*
Iam iam casuræ. miseritum est, ne caderent, excepi manu.
Prud. *Vide misericordem spartacum. Age nunc vbi Camelus ?* Saty. *pascitur*
Nostro cibo, mea in cauerna, ne esset vobis sumptui
Aman. *Vide vt latrocinari est liberalitas ?* Prud. *age signifer*
Latronum vbi apotheca est Amantij ? Saty. *rectè valet:*
Euacuata est humoribus replentibus.
Aman. *Egregium verò medicum extersorium*
Saty. *Sed quando iam nil superest delictorum: quin me absoluitis ?*
Aur. *Soluendus vita es.* Satyr. *Capitale facitis.*
Lucr. *volo*

Vno hoc in capite capita vitiorũ omniũ recidere

Prud. *Sed en Parthenius propero se gradu huc refert.*
Ephebus Virginis est ab obsequijs amoris intimis

Aman. *Aliquid de magna matre apportabit noui.*

Parthenius, Amantius, Prudentius,
Lucretius, Seruilius, Aurelius,
Satyriscus.

Parth. *ABsente nobis quid turbatum hic est?*
Aur. *turbator omnium*
Vita exturbandus est. Luc. *Virtutũ Carnifex*
Tandem occiditur. Part. *absistite. haud magna placet*
Parenti isthaec atrocitas Saty. *ô Mater optima*
Part. *Satyrum*
Cohibete fraeno ac vinculis, & fustibus
Compellite ad frugem, vt Virtuti inseruiat

Satyr. *Habeo tibi gratiam: ero modestus posthac: mandata omnium*
Omnia faciam. Parth. *Non faciet, nisi percussus, atque cohibitus.*
At vos qui Capri edomuistis potentiam
Accipite nunc salutem, quam de Magnae matris Nomine
Animo libenti impertio, discedens mihi
Dedit in mandatis, vt iuberem vos saluere plurimum

Seru. *Discessit ergo?* Part. *Et praecessit diluculum*

Aman. *Quid ergo salutem nuncias tu: nostra si hinc abijt salus;*

Prud. *At inceptasse preces illam rumor fuit*

Part.

Part. *Et verus.* Aman. *At prolixas.* Parth. *vt nihil magis ;*
Etiam nunc durant. Aur. *verum interiore in adyto*
Precari dicebatur Parth. *Quinimò penetrali in intimo*
Adhuc precatur: adytum est ipsa Numinis
Festini Amoris pennis asportatile
Aman. *Valete; ego illam cursuiam assequar.*
Parc. *Pygmæus , Scilicet*
Gygantem consequetur . Seru. *ò Sortē asperā*
Aman. *Quid ergo nostra isthæc dona in Viaticum*
Ornata? Luc *serò ac nequicquam,* Aur. *Operam extriuimus*
Part. *Caue isthuc verbum dixeris, quod diu a datur,*
Nequit deperdi, lucris auctatur nouis :
Aman. *Tamen illa Nos haud satis dignos putat*
A quibus accipiat. Parth *Spero accepturam quoque*
Si sacras illi per preces, atque hymnos oblata hæc sient .
Aman. *Hem: accipiet autem* Parth. *Spero, vel certè sacris Afflatibus*
Quæ dona cupiat, explanabit : munera
Dabit illa vobis credite immortalia pro Viatico
Forsan & adducet secum meliorem in viam ,
Prud. *Facite periculum,* Parth. *Nos Satyrū intereà dabimus coercitum.*



Aman.

Amantius, Lucretius, Aurelius, Melidius
Harmonillus, Erotillus, Lucridius, &
Aurippus Pueri singuli Viatici
munera deferentes.
Chorus Diuinorum Afflatuum
intra Proscenium.

Ama. *AT mihi Melidio opus est vt sacro in carmine*
Mea Vota prosequatur. Melid. *In promptu est.* Lucr. *Vbi*
Nunc Harmonillus? Harm. *Eccum ipsum presto est* Aman. *Vos paruuli* (*ma*
Pōpa canora flosculi.cara capita matri maxi.
Iam vota nostra, & munera nouistis.sacras
Nunc inter laudes exhibete Virgini
Aur. *Initium Amoris ducite ex Amantio*
Aman. *Ego alta mente fixus in Domina sinum*
Et cordis aure Cælo applicita sortes excipiam meas:
Vestrum aliquis, pueri. donum aliquod ex nobis in promptu hic fiet (*bus*
Erotille nō exaudis! Erot. *audio quidem auri-*
Sed manibus obaudire nequeo,ita fatigat me tantum hoc ponderis
Quid dicam hoc esse? amor meus erga Matrem Virginem
Hoc pondere maius pondus est & solid ius
Nec mihi tamen grauat cor.Credo quia placet
Lucridi,Aurippe auxilium. Lucrid. *adsumus.* Aurip. *En adsumus*
Mel. & *Huc age præsens animo,quamui* — offertur munus Amantii.
Harm. *Disiuncta locis peregrina faue.*
Canunt Ruris honores
Tibi frugifera de Valle damus,

Tibi

Tibi vitigeno de colle damus
Vrbis amores

Mel. *Diui Mater Amoris*
Natum respice Amantium
Dona gerentem

Harm. *Nutrix dulcis Amantum*
Alumno faue Amantio
Dona ferenti

Mel. & *Munera si renuis non es redamare parata*

Harm. *Regina summa es cordium*

Mel. *Gratum sume Tributum*

Harm. *Diua es suprema Cælitum*
Terræ primitias cape,
Huc age Virgo Dona ferenti
Amantio serenos dirige vultus

Chor. Aff. *Præsens est animo bona Diua tuo*
Distat à Votis tamen; & parata
Dona recusat.
Cordis ignita recreatur esca
Numinis Mater, sitit illa tantum
Cordis è puri niueo solutos
Fonte liquores

Ama. *Intelligo, auferte isthæc. date pateram aureã.*
Mare est; amaras vndas oculorum expetit,
Dabo illi ex corde, cordis quicquid est solidum ac liquidum mei.

Auci. *En pateram auream, nisi hanc sacrabis Dominæ, es verè plumbeus*

Arm. *Audi Tonantis Mater, & Fili Tonans*
Audi per oculos cor extillabo meũ, ac siti tuæ
Hanc pateram consecrabo oppletam lacrymis
Humore hinc sensim extracto per fletus pios;
Cor panis instar conicam in figuram obdurescens tibi

Lentis Amoris ignibus excoctum dabo, hoc
Viaticum est.
Vtinam me Comitem lateris accipiat sui

Chor. *O ter beatum Amantium.*
Perge Viator
Peregrina cum Virgine perge
Te vocat illa, super astra vocat
Viam capesse tutus
Viam capesse fidens.
Habes grande Viaticum

Lucre. *Age sis Lucridi: defer ex Tabulario*
Negociales Syngraphas, chirographa
Commerciorum, litteras Nummarias
Omnes accepti, expensi tabulas Virgo possideat
velim. offertur munus Lucretij.

Mel. & *Huc age præsens animo, quamuis*
Harm. *Disiuncta locis Peregrina faue*

Mel. *Hic tibi larga glomerantur opes*
Clusa papyris in lucrum,
Sic tu diuitias Aetheris intimum
Lucrata condis in sinum

Harm. *Tibi mundi commercia in Vnum*
Tradimus negotiosis quæstuosa literis
Sic tu prima facis cæli commercia terris,
Sic tibi gremio Numen obortum
Aetheris omnem
Literaturam tenera exarauit
Cuspide Amoris
Quod tibi tam simile est, Virgo, ne despice donū

Mel. & *Huc age Virgo dona ferentis*
Harm. *Lucretij beatis annue Votis*

Chor. *Præsens animo est bona Diua tua*
Distat à Votis tamen, & parata
Dona recusat

Amat

Amat papyros exarari splendida
Laude Virtutum, sibi consecrari
Et fatigari calamos honore
Numinis ardet

Harm. *Intelligo, calamum affer huc scriptorium*
Non alius mihi iam quæstus in chirographis
Nisi Virginalis gloriæ posthac erit.
Audi Tonantis Mater, ac Fili Tonans
Audi scribendi artificem pennatum hūc stylum
Dono, dicoq; amoribus integerrimis.
Quoscunq; in albo cordis inscriptos gero
Characteres amandi, referam in publicos
Encomiorum multiformes codices:
Nulla profana sordis erotica vspiam
Litura inficiam folia Virginalia.
Erit vnica illa Infiniti voluminis
Argumentum ingens, nobile, & semper nouum.
hoc Viaticum est
Vtinam me comitem lateri coniungat suo.

Chor. *O Sospitem Lucretium.*
Perge Viator
Peregrina cum Virgine, perge
Te vocat illa, super astra vocat
Viam capesse tutus
Viam capesse fidens
Habes grande Viaticum

Aurel. *Aurippe defer textiles custodias*
Auri refectas fulgidis philippeis
Ego me exhæredem faciam vt hæres illa sit ex asse integro.

Mel. & Harm. *Huc age præsens animo, quamuis*
Disiuncta locis Peregrina faue
Hic tibi flauæ pretiosa damus
Viscera Terræ.

offertur munus Aurelij

Hic

Hic tibi paruis latet inuolucris
Fortunarum summa potentum

Mil. *Prælia si tentes, sunt prima hic robora belli*

Harm. *Si laudes meditare togæ, dant pacis honores*

Me.& *Fulua metalli pondera facti*

Harm. *Vultu radiant signata tuo,*
Exuta & vitijs purissima lumina vibrant
Huc age Virgo dona ferenti
Aurelio benignam porrige dextram

Chor. *Præsens animo est bona Diua tuo*
Distat à votis tamen & parata
Dona recusat.
Diui radiat Solis in auro
Fulgida Virgo, Rutilatq; Deo
Massa pudoris purior auro
Consignata vterũ spirante ab Imagine Patris,
Quin cordis potius tui
Aerosam conflaturam rubigine tergis?

Aur. *Intelligo. affer ignis vrnam argenteam*
Vitia excoquenda mihi sunt animi, donec ad purum fluant
Affectus defæcati, & mores integri.
Audi Tonantis Mater, ac Fili Tonans
Audi, hunc ad ignem semper excubijs vigilantem argenteis
Ad Amoris, inquam, Virginalis fomitem
Agitatum Numinis aura genitabili
Expurgabo animum iugiter, extergam scabra
Rubigine, ad Nitorem Cæli æmulum. Dabo omnibus
Nitoribus politum pudoris è Schola. hoc Viaticum est.
Vtinam me Comitem lateris adiungat sui

Chor. *O perbeatum Aurelium.*

Perge viator
Peregrina cum Virgine, perge
Te vocat illa, super astra vocat
Viam Capesse tutus
Viam Capesse Fidens
Habes grande Viaticum.

Harm. *Quid moramur hic Melidi?*

Mel. *Harmonille quid moramur?*

Harm. *Virgo si abijt cor nostrum abijt,*
Vilia nos hic membra iacemus?

Mel. *Iam sodales auolarunt: Nos in imo harescimus*

Harm. *Cur non beatam semitam*
Diua dante capessimus?
Nos eamus, vos manete, vos valete, et plaudite.

Ambo *Cur non eandem semitam*
Diua dante capessimus?
Nos eamus, Vos manete, Vos valete, & plaudite.

FINIS.



De Metris huius Carminis & Prologo.

IAMBICI Verſus Acatalectici ſiue iuſtæ apud Comicos Menſuræ duos pedes admittunt, Iambum ſcilicet, ac ſpondæum, eoſque præterea, qui in hæc reſolui, ſiue potius ad hæc reduci dicuntur. Ad Iambum ſiquidem tribrachus: ad ſpondæum autem dactylus, & anapæſtus reuocantur, quòd diuerſo conſtantes numero ſyllabarum parem cum illis veluti ſimplicibus primigenijs ſuis durationem temporis in pronunciatione conſumunt: tantum enim temporis explent duæ longæ ſyllabæ ſpondæi pedis, quantum tres ſyllabæ pedis anapæſti, quarum duæ breues ſunt, altera longa, cum vna longa duabus breuibus æquipolleat. Cur autē choræus pro iambo, & breue quadriſyllabum pro ſpondæo non vſurpetur. illud fortaſſe etiam in cauſa fuit, quòd ſyllabarum poſitu ſummopere aduerſentur hi pedes inter ſe.

Iambicorum porrò Verſuum ſenarij quidem ſex huiuſmodi Pedes, quorum vltimus tamen Iambus eſt, continent. Octonarij vero octo ſimilibus pedibus conſiſtunt poſtremo ſimiliter Iambo: neque aliud quid requiri credimus ad horum verſuum fabricam probabilibus adducti coniecturis.

Huiuſmodi nos metris vſi ſumus in fabula; quod ſi alicubi ſyllaba aliqua vna fefellerit, catalecticum carmen efficiet; In choris autem

Verſus adhibuimus partim vulgatæ menſuræ; partim innouatæ more Græcorum in gratiam Italicæ Harmoniæ.

Cæterum Satyriſcus, & Parthenius Prologi partes agunt, & ſub iiſdem nominibus primariæ perſonæ ſunt in Fabula, quod licenter, atque indecorè factum fortaſſe videbitur. Sed hanc licentiam non carere venuſtate cenſuit Plautus Comicorum feſtiuiſſimus, cuius exemplum ſequuti ſumus. In Mercatore enim Charinus & Prologus eſt, & partes agit præcipuas in Comœdia.



VENATIO ANTONIA

Siue

De Eminentiſs. Principis

ANTONII

CARD. BARBERINI

Magnanimitate

ac Liberalitate immortalitatem gloriæ aſſequente

CHORI

Inter philoſophandum ad Viterbienſes Balnearia delicias modulati

Dedicante vniuerſam Philoſophiam Carolo Comite Marciano.



Emblematis VENATIONEM ANTONIAM adumbrantis Expoſitio.

QVONIAM Eminentiſs. Princeps Cardinalis Antonius philoſophicas Illuſtriſsimi Caroli Comitis Marciani Diſputationes aſpectu nobilitare non grauatus eſt ſuo, quum vrbanis è curis reciperet ſe ſe ad Viterbienſem Balneariæ Villam prope Syluam Ciminiam ab herculeis

vſque temporibus Heroum venatione celebrē; nunc verò clariorem Eminentiſs. huius Principis heroica magnificentia. quæ præcipuos Europæ Dynaſtas hoſpites excipit ſplendidiſſimè: viſum eſt non ab re poetica futurum, ſi picturato in ſchemate, quo publicæ Theſes illuſtrari ſolent, exhiberetur ſub ipſam Balneariæ Villam expicta Venatio Gloriæ: hæc enim præda eſt magnanimæ Principum liberalitati gratiſſima. Opus autem ſublimi a fronte inſcribi placuit.

VENATIO GLORIAE
Eminentiſs. Principi Antonio Cardinali Barberino

Ad Viterbienſes Balnearia delicias inter philoſophandum Muſis concinentibus Dedicatur,

IN ſupremo Picturæ ſpatio deuolat è Cælo Fama chlamidem induta variantem oculis, & auribus interpictis placido ventorum obſequio per delicias vndabundam, tum inflexo reſonare cernitur cornu, ceu Venationem indicat. cui etiam ambos cæleſtes canes, alterum Orionis aſſeclam, Syrium alterum leprariũ Cephali fluitantibus loris adducit ſtellis proprijs collucentes: ijs verò ſuperlucet longo tractu zona frequenti ſtellularum interpunctione albicans: viamque lacteam refert, qua benefici Heroes ad Ambroſiæ promptuaria deduci antiquitus credebantur. Eius viæ ad extremas oras angu-

angulum quidem dexterum Aquarius irrigat fun•lens fluuium ex gemmis, & auro turbidum: finiſtrum verò angulum coronat Ariadnæ ſertum, duo illa liberalitatis, & Comitatis apud Cæliſpectores non leuia argumenta.

Verum terræ planities amœnum Villæ Balneariæ veſtibulum præfert, in quo Venatio ipſa hunc in modum inſtruitur. Venatrices quidem primarias duas Magnanimitatem, ac Liberalitatem videre eſt; prædam verò etiam duplicem, cæde funeſtandam aliam, aliam iucundæ capturæ ſeruandam.

Igitur Magnanimitas bellatricis Amazonis os, & habitum gerens premit Equum ſteroacem Iulij Cæſaris, magnum illud auſpicium Imperij, plenum animal ſpiritus, ac pompæ, cuius nares amplo anhelitu ſpiramenta faciunt bellico ardori, quo flagrant: dum crines intonſi iactatu vario quaſſabundi ventos procreant, tempeſtatemque Cælo ſereno commouent: ſpumantia verò labra pluuiam etiam ſtillant niueam inter aurea fræna liquentem.

Virginis huius equeſtris auguſta è facie ira nobilis eminet, qualem in Dauide micaſſe credimus aggrediente Leones. Oculi Solis inſpiciendi potentes terrent hoſtes, nec diſplicent, ita veniam ſpondentes miſeris, vt ſuperbis bellum acre decernant. Eius caput ænea tutela protegit, ſed vultu ſemiconſpicuo relicto, nè planè infelices intereant ex illa morituri. Vltra verticem criſta conſurgit, quæ pennarum gloria tumens ventulos fugat ſimul, & fætat, mitigatque volatica quadam amœnitate vniuerſam ferociam. Ad tempora etiam

nes

nes aliquot errore ſurreptitio ſine metu trepidant: Sanſonis capite digni ſunt ex robore: ſed ex gratia, & venere criſpandi pariter cum Coma Iuditæ: thoracem præmuniunt adamas, amethiſtus, aliæque huiuſmodi gemmæ conciliatrices alacritatis, & impetus. Sed hic potiſſimum chlamidem excitāt ad fluctuandū, cui vel Romana Clælia ſuppoſuiſſet humeros, cum è fluctibus enatauit in Patriam.pedes altis ſubnixi cothurnis,quò ſublimius attollantur ex humo inſtruuntur calcaribus cuſpidatis ferreo charactere Martis, qualem figurant Aſtronomi fortitudinis acrimoniā fortaſſe notātes.

Nobiliſſima volucrum Aquila Magnanimitati ex Apollinis pharetra ſuggerit aurea venabula, quibus illa vibratis ad lineam, ſordentem demum Auaritiam transfigit,ac deijcit. Harpyam ſcilicet,longitudine abnormem reſupinat,quæ quidem vncis manibus, pedibuſque inexplebilem ventris ingluuiem præſefert;macie tamen ipſa magis ex vcta eſt, ſiticuloſo pumice totis artubus corporata, aures verberat noctuabundæ alitis pennis, cæſariata ſtipulis areſcentibus, oculis circumſpectans emiſsitijs, buccis immani deſcenſu fluentibus, dum ſimiles aliæ monſtroſæ aues ſordidato agmine circumuolitant, ipſas credas Auaritiæ ſordes. Sed harum omnium transfixarum è manibus, & zonis videre eſt paſsim collapſos pecuniarum ſacculos, gemmarum lineas, & cumulos, & ſexcenta inuolucra diuitiarum dum Magnanimitati opem ferunt nobiliſsimi puberes ſagittarij: mera eſt Beneficentiæ familia, ita ſpirant indolem Antonianam:hic enim ipſe eſt Be-

neficiorum chorus; cuius beneficio sordes omnes exiguntur, & exulant.

Atque hæc quidem Magnanimitatis in Auaritiam venatica ratio est, cuius Acta ne pereāt referuntur in commentarios ab Historia, quæ non longè abest dexteri lateris terreno angulo insidens. Grandæuam illa Matronæ personam gerit, quòd æuum omne cognouerit, corpore quidem non obesa, cum superfluis non abundet: visu verò peracuta est, quód ipsa etiam Principum arcana introspectet; nuda quoque pectore, quoniam abditissima quæque expromit, nihil occultans in sinu. Verticem illi sacra Cidaris hebraico formata ritu circumtegit; quod caput, atque initium Historiarum omniū Hebræi solum scriptores attigerint. zona eius adstrictior (quippe quæ profusos Eloquentiæ mores non induit) Zodiacum insculptum habet, quòd dies, & annos Aduersarijs, & Annalibus digerat, vti Sol describit itineribus. Scribit autem ad facem prælucentem Horologio, & stabili cubo impositam. est enim Historia lux temporum, innixa Veritati, quæ vna scribendi firmissima basis est. Scriptionis autem inscriptio legitur.

Auaritiam cum sordibus exterminatam alta nostri Principis magnanimitate Historia referebat.

VErum ex aduersa parte iucundior scena panditur venantis Liberalitatis, quippe cuius in retia sponte cordis incurrunt popularis Amor, ac Fides. Liberalitas igitur imperato-

rio laureata ſerto (quod Imperatorum dos ea propria ſit,& triumphos agat de populis: vultum Ioue iuuene, ac iuuante dignum expromit: qualis Iuppiter viſebatur antiquitus, nó ille barba ſeuerior intra Capitolinas ædes, ſceptro verendus,& fulmine,ſed alter adoleſcentis ore conſpicuus ſub dio poſitus,& in Aſylo ſalutem ſpondens,ac munera. Crines vndatim ex ceruice profuſi pretioſum ventis donarium circumferunt. Stellæ Veneris radios eos eſſe crines dixeris,quibus hominum pectora incruentè Liberalitas vulnerat, ſicut illi mane ſummo capita roſarum aperiunt. Vnicornem Venatrix noſtra domat, ferum animal,ac ſylueſtre: nihil enim tam efferum,& agreſte reperias,quod beneficijs non manſueſcat. Adde quod fera hæc benefica dicitur; eius quippè cornu cum libat fontes; omne genus ſitientium tutò aquatur in Aphrica. Porrò Venatricis huius veſtimentum è veſtiario Solis, ac ſyderum deprromptum videtur,tanto candore coruſcat,ac vibrat. Peplum illud *eſt*,quod ſimulachris Deorum veteres inijciebant. Dijs enim pares efficit populus liberales viros. Libera tamen eius ceruix, & expers monilium eſt,ſicut armillis dearmata bracchia; nulla vnionum ſerie catenatur pectus, nulla ſub aures gemmarum momenta librantur. hæc enim omnia dono data iam ſunt. Neque tamen illi quicquam deſit: ad manus enim Fortuna pediſsequa omnium generum opes miniſtrat ampliſsimo polubro, in quo monetarum lumina ſplendent, auri, argentique ſignati plurima, tum inaures gemmeæ cum torquibus, baltheiſq; & omnium genera mu-

 nerum

nerum quæ Liberalitas ſagittarum loco immittere ſolet, ſed hamorum vices præſtant in captura cordium.

Et Fortuna quidem quamuis in ampliſsima luce, ac meridie meritorum, nil videt, ideo cęca viſitur: comam omnem exporrigit inquietam a fronte, quam niſi prehendas in occurſu, fruſtra reprehendere tentes ab occipitio, quod caluum eſt.

Fugam illa meditatur alatis pedibus, ſed duplici nodo ex radijs Iouis, ac Veneris colorato, ac texto religatur ad liberalitatis brachium. beneficus enim qui fuerit in multos, gratum ſemper aliquem inueniet reciprocum bonæ Fortunæ datorem. Adde quod omnium intereſt, quod liberales diteſcant.

Sed è Fortunæ donis acceptum rete aureis intextum filis, gemmeiſq; internodijs ſolidatū expandit Liberalitas aucupata, nec fruſtra. Ecce enim alitibus promptiores vltrò ſe, prædam faciunt Amor popularis, ac Fides, ſeq; præcipites agunt in laqueos, nec decipiuntur tamen.

Amor profectò in ipſo ætatis flore, ac robore vegetus, alacer, confidens præſto eſt, quòd pro Principe ſibi caro, & facere, & pati fortiter omnia feliciter audeat. Caput illi multiformi cincinnorum cumulo variatur, quos non externa Ciniflonum opera finxit, ſed ad domeſticum cordis ardorem induſtria formauit plicatiles in anulos, quibus capit, & capitur criſpi ſunt, nec facile ventis illos cedere videas niſi vel Auſtro, vel Zephyro. Euro, ac boreæ obſiſtunt, neque enim adſtrictorijs fauet hic Amor, neque frontibus corrugatis obſequitur.

Ejus

Eius lumina faſcia non tegit: optimè ſiquidem vidit quid faceret, cum ſe Principi tanto deuouit. intimæ cordis notiones clareſcunt in oculis; nihil enim celare nouit, nudo etiam pectore candidus, quippe quem neque fucus vllus, neq; dolus infuſcat. Et ſiniſtra quidem manu claues porrigit, dextera verò cor humanum præmonſtrat; quaſi clauibus tradat iuriſdictionem, corde autem etiam tribunal.

Sed Fides non procul ab Amore captiuam ſe ſe induit in caſſes, Heroina illa Regiæ nobilitatis. Regium quippe eſt, vel ipſa verba habere fidiſsima. Media ei eſt inter adoleſcentiam, ac ſenectutem ætas, quòd illa non ſatis experta nimium omnibus ſeſe credat: hæc verò nulli pænè ſe fidat.

Frontem eius Verecundiæ Regiam putes, ita nil perfrictum, aut proteruum recipit. Anchoræ ſpeciem ædificatorum crinium figura gerit, argumentum inſigne Conſtantiæ. erumpunt ex oculis beneuola modeſtiæ obſequia: cinctura baltheo eſt, nec diſcingi vnquam poterit tam ſæpe authorata Beneficentiæ ſacramento. Manu Præfert anulum, ſponſionis immobilis characterem, ac pignus; Sed & Canis blandus aſſecla deliciatur ad pedes, quo nullum delicatum animal Dominis, ac domibus magis fidum eſt.

Fidem igitur, & Amorem populorum Liberalitas Gratiarum choro iaciente miſsilia donorum ſtipata, vltro cedentes prehendit, & vt omnia cadant ad numerum: peragitur omnis hic Venatus ad Poëſis cantum, quæ altero ex angulo Hiſtoriam contra cernitur inter tubas,

ac tibias, quòd Heroicis hiſce Virtutibus Epicum, ac Dityrambicum carmen iam deſtinet. Horum titulus legi poteſt in lapide, quem ſedendo premit.

Amorem cum Fide populorum affabili noſtri Principis liberalitate comprehenſam canebat Poeſis.

Huic nos Venationi, & Cantui Choros adiecimus ſuccinentes varijs in regionibus beneficio Eminentiſſimi huius affectis decantandos. Vno enim theatro claudi nec Amor, Fideſque tanta voluit, nec tam illuſtria merita Principis potuerunt.



IN AVARITIAM cum sordibus benefica nostri Principis Magnanimitare transfixam

Siue de prima *VENATIONIS ANTONIAE PARTE*

CHORVS PRIMVS

In Sylua Ciminia.

CEDE campis, cede pratis,
cede syluis Delia,
Magnus hic Apollo regnat
Rex honorum Antonius;
Ipse venatu recenti, cordis humani feras,
Efferos Lauernæ amores, spiritusq; inglorios
Hostis innocẽs lacessit Gratiarũ verbere.
Solis est gemellus ore; corde sed clemẽtior,
Natus est pluẽte Cælo dulcitates nectaris
Faustitatis vtriusque sub probato sydere.
Sydus est cordis benigni,; Iuppiter latè iuuans;
Efficax, leuare amœna fronte Saturnos graues,
Tãtaliq; arcere mœsti sordidata sæcula,
Quin & iras iusto acerbat Marte, sed placabilis;

Est in armis quanquam inermis, incruentè bellicus.
Nēpe hic magnanima turbine Gloria
Permixtus superis purpureus Tonans
Sordentes Erebi pellit Erynnides,
Dico auri ingluuiem, tantalidē famē,
Et putre studium terrigenæ rei,
Communem scabiem Pacis, & Otij,
Mentis carnifices sollicitudines
Seu pastos Tuij sanguine vultures
Fortis munifica strauit adorea;
Sic Pluti furias expulit æthere,
Sic pœnas Erebi reddidit Inferis.
Hic hic, vbi Ciminijs
Adulta sylua quercubus.
Hortisq; BALNEARIÆ
Dotata, Verno Tempori
Florà sequestrà iungitur,
Autumnat Pomona ferax ANTONIA campis
Ditior Elysijs, nēpe hic decerpere fructus
Heroum dignos manibus licet omnibus horis,
Accurrūt vltrò Charites, calathisq; beatis
Fūdūt lautitias, aliæ per cynnama gratos
Dispēsant Zephyros, aliæ te flore coronāt.
Ipse vago Neptunus agit spectacula fluctu,
Dum numerum salientis aquæ tenet Aura choreis.
Vibrāt vbique diem, nec Sol tamen imperat æstum,
Sed radijs dat iura potens Zephyritis in vmbris.
Prodigus ambrosiæ soluit ieiunia Comus,
Gem-

Gemmatoque natat Baccus glacialis in
auro.
Cæsaribus digna statio toti hospita
Mundo est.
Alcinoi iam mensa vetus dare pabula
Fama
Desinat, vnũ illa hospitio seruauit Vlyssẽ
Extorrem, multos vna hac admittit
Achilles:
In patriam è Latio reduces, gremioque
patenti
Excipit ausonio trabeatos Murice Reges.
Vsque adeo laudũ venatu nobilis, omnes
Pectoris abiecti sordes disperdidit Heros,
Serpentum genios terrenæ facis anhelos,
Talparumq; humiles curas, & pallida
vota
Auri squallentis pepulit, tota indole, &
armis
Aureus; en tandem fatis melioribus
actus
Mœcenas maior rediјt, totoq; fugatam
Pulsat Auaritiam sæclo: date carmina
Musæ.



DE AMORE cum Fide populari venando

Siue de altera

VENATIONIS ANTONIAE PARTE.

CHORVS SECVNDVS

In Littore Tyberis.

Chori Ductor. QVISQVIS es, cui cura cordis, nunc tuo cordi caue;
Cordium Venator ingens arte scrutatur noua
Pectorum fibras latentes, vndè Amorem expectoret,
Cordis vnas dat rapinas cor Quiritum ANTONIVS,
Non ferarum tecta pulsat, claustra palpat mentium.
Quid ferina cade viuat? nullus est humanior.
Quicquid est vbique amoris, illud est prada caput.
Cuncta qui sibi catenat cordium consors Amor,
Seruitutis concupitas iam catenas induet:
Et Fides, quam quisque cluso seruat abstrusam sinu.
Publicum sequens triumphum colla captiua hic dabit,

En adest venandi Amorem dulce punctum
temporis:
Quaeso vos opem, sodales: plena res est alea,
Nam Fidem quis attinere, quis Amorem
consequi
Possit? hic namque auolabit, illa nusquam
est gentium.

Primus Chori. *Mitte timores: Venatorum*
Dux ego laqueos texo trilices,
Auis ista volans, nimiumq; rapax
Faxo ut terris haerescat Amor.

Chori ductor. *Haeres in aqua miser, in laqueos*
Ni sponte cadat, captio nulla
Captare queat:
Amor est laqueus cuncta illaqueans.
Caue, de laqueo ne praeda fies.

Secundus Chori. *Non ego laqueum, sed labyrinthū*
Vndique flexum millereflexis
Orbibus apto,
Vt portentum hoc mundi indomitum
Labyrinteo carcere cludam.

Chori ductor. *Nimis à vero excluderis ipse,*
Quis Labyrinthus maior Amore est?
Nullus adillum valet ingenio;
Praepes in altum è carcere luso
Daedalus ibit.

Tertius Chori. *Ego daedaleas ferreus alas*
Forcipe reseco: ferro feriam
Impune feram, sic vindictas
Mille sub vno prosequar ictu,
Vulnere figens magnum hoc animae
Vulnus inertis.

Chori ductor. *Vulnere ab illo noster veniet*
Credite, sanguis, quem bibit iste;

 Amor

Amor est ignis, cuius in una
Scintilla ingens Ilios arsit.
Prælia tentas Marte sinistro,
Tentas flammam scindere ferro.


Quartus Chori. *Sine dum: mihi stat, flammam hanc penitus*
Suffocare.
Cæcum in cæcas tenebras abdo,
Vi nodatum nexibus arctis
Stringo rebellem.

Chori ductor. *Ventos cauea stringis inanes*
Cuncta tuetur, omnia laxat
Quem sic frustra properas media
Stringere nocte.
Aperi potius tenebras mentis
Cæcosq; sinus: aperi syrtes
Cordis, & illuc fortasse libens
Vela ciebit.
Cogere Amorem vis nulla potest;
Merus est animi sponte volentis
Impetus, ultro vel natus adest,
Vel nullus adest.

Chorus. *Quanta vis, quanta est potestas summa Regum, ac Cæsarum!*

Chori ductor. *Vniuersa vis fatiscit, nec potestas quid potest.*
Ille Rex in corde Regum, corda cadit Cæsarum,

Chorus. *At metu si nō tenetur nec dolore vincitur.*
Quis domabit ô sodales, quis prehendat improbum?
Nullus Heros est in Orbe, nullus in Cœlo Deus?



AMO-

IN AMOREM
Cum Fide populorum affabili nostri Principis liberalitate comprehensum

Siue de Tertia

VENATIONIS ANTONIAE PARTE

CHORVS TERTIVS

Charitum Donaticarum respondens Choro Secundo

Coram Tyberi, & Metauro.

Chorus. EN adest, donante Cœlo, dulce *terrarum decus*
E BARBERINO ex alueari mel supernum ANTONIVS,
Adsumusq; omnes ab illo Gratiæ Venaticæ,
Ille mira tela tendit, mira tendit retia,
Aureos casses parauit, & sagittas aureas,
Torquibus finxit catenas, tela sunt monilia.
Sic Amorē hamare tentat, sic Fidē configere.

Chori ductrix. *Doctus est artis magister, corde quàm pleno sapit?*
Esca nempe hæc vna ad omne pectoris votum sapit,
Quantus est totis in vndis, piscis hunc hamum vorat;

Vna

Vna vis auri, vniuersã causã amãdi cõtinet

Chori Primus. *Vbi nunc, vbinam latet illa ferox*
Fera, quæ corda & ferrea mollit?

Chorus. *Charis ò Charis, ò Amor Amor*
Ades huc tandem Charis ò Charitum,
Popularis Amor,

Chori Secunda. *Viden augustæ frontis in album*
Quantos referat Phœbus honores?
Oculisq; dies quantus oberret
Purpurati ANTONII?
Charites Apollo dextera
Ternas gerebat vnica
(Pictura sic loquitur vetus)
At Hic secunda, & tertia
Manu refundit affatim
Milleinfluentes Gratias.

Chorus. *Charis ò Charis, ò Amor Amor*
Nisite augustæ frontis honorus
Iam cœpit amor, terrarum odium es,
Mundiq; pudor.

Chori Tertia. *Non nata labris Comitas*
Menti nigranti discolor
Causas colorat fraudibus
Viscum locans in auribus:
Sed corde in imo Veritas
Prognata partu candido,
Cocco è labrorum prodiens
Dat verba planè regia.

Chorus. *Ades huc tandem, Charis ò Charitum,*
Popularis Amor. Si te ingenui
Pectoris ardor; quo magnanimus
Candicat Heros non inflammat:
Tibi pectus iners magè tartarea
Caute gelascit.

Cho-

Chorus. *Factis grauidas habet hic voces,*
Sermoq; breuis persuadente
Ponderat auro.
Non arte piscatoria,
Vt dona captes, indiges.
Effluit ad ripas prono resolubilis auro;
Gēmarumq;potens resupinat munera, longè
Speshominūexuperās,votisq;supernatat ipsis.

Chorus. *Testis Metaurum flumen ab aureo*
Interfluentum gurgite munerum
Latè redundans purpurei Ducis.
Cuius profuso ex vbere Gratiæ
Lactata crescunt gaudia Ciuium,
Splendore cuius prisca regerminant
Dulcissimorum sæcula Cæsarum.
Olli aggeranti præmia non Tagus,
Non ipsa est fortuna satis, nō census Olympi.

Chori Quintus. *Augustus ille Octauius*
Regum venustas, & Charis
Meliore prognatus Ioue
Reuisit Orbem ANTONIVS,
Amœnitatis publicæ
Pompa, & salus ANTONIVS,

Chorus. *Charis ò Charis, ò Amor Amor*
Huc age veteres ingere plausus.
Popularis Amor. Hoc nisi faxis,
Non te posthac dixero Amorem;
Furor es furijs editus Orci.
Quid ergo cessas ò Amor?

Chori ductrix. *Non cessat ille. Fallimur;*
Cernis vt gēmata circū latus ambit retia,
Et libens sui profusam copiā cordis facit?

Chorus. *Nunc io plaudamus ò Charites prehensus*
est Amor,

Cuncta qui tenet, tenetur. Musæ, io, complaudite.

Chori ductrix. *Hem qui nullas leges pateris*
Effrenis Amor.
Hic munifico iure teneris.
Fuge si potes hinc: at si posses,
Non posse velis, tibi tam bellè est.

Chorus. *Plaudite io Charites, & io cōplaudite Musæ:*
Gloria Musarum, Charitumq; potentia nostra est.

Chori ductrix. *At quæ tibi se comitem tetulit*
Heroina?
Agnosco. Fides popularis adest,
Iurata Fides, assecla Amoris,
Editi ab uno scilicet astro
Consatales Amor, atque Fides.

Vno etiam meritorū acri magnete trahūtur

Chorus. *Corde triumphato venandi gloria summū*
Culmen habet tādē. Vita in secreta receptus
Officijs, donisq; potens ANTONIVS omnes
Peruadit terras, fama conterminus astris.

Chori ductrix. *Quin & astris bellum adornat apparatu munerum;*
Tēpla, & aras ditat auro, gēmeisq; ornatibus;
Diuite illō non egebit vllus in terris probus:

Chorus. *Viuat hic beatus ergo; nullus vt restet miser.*
Viuat ò productus annis ætherisq; ac syderū,
Donec arcem expugnet æthra machinis argenteis,
Donec auro cōprehendat ipsa corda Cœlitū.



CVR-


BVRGHESIA

Siue

CHOREA MVSARVM

Eminentiss. Principi
Scipioni Cardinali Burghesio
Emodulata.

Dum Ioannes Ant. Castellinius Philosophiam propugnaret in Colleg. Rom. Anno 1612.



Ad Burghesiam Musarum Choream Prælusio.

HEROICA tempora quò fuerunt aureo sæculo propiora, eò actius antiquæ simplicitatis mores candidos tenuerunt: propterea suis Ducibus occurrere Populi non aulica dissidentium a corde verborum illecebra, sed apertis gestientis animi motibus, corporisque saltibus & simplicibus, & compositis ad Pilam, & Abacum consueuerunt. Hanc in præsentia consuetudinem feliciter vsurpant bonarum artium altrices Musæ, quæ philosophicæ veteris disciplinæ tenaces, non dum experta fucorum dulcedine, candidè, ac sincere lætitias suas, ac plausus palam egerunt in alumnum quondā suum, & nunc ab ipsis Patronum conclamatum, Heroici plane temporis assertorem Emi-
nen-

nentiss. Scipionem Burghesium, dum ad gentilitium Burghesiorum Insigne varia cantuum ac saltuum modulatione proludunt. In qua sane Chorea, quam non ab Inventore, vt Pyrricha dicta fuit, sed ab argumento, vt Achilles, & Pallas Loricata, ab ipsa Burghesiæ Gentis amplitudine, posthabito Apollinis nomine BVRGHESIAM dixere, vniuersum veteris Harmoniæ melos, ac præcipua saltationum genera cõprehensa sunt. Et primus quidem ingressus delicatus, atque hilaris ad melos Ionium, vt olim Cordax, & Calathiscus attemperatur: quod inter eximias Eminentiss. Principis laudes prima salutantibus occurrat Comitas, & festiua accurati sermonis vrbanitas, ad extorquendum omnium amorem rapax. Ab ingressu Parthenia saltatio sequitur, ad melos Dorium sedata, & grauis, qualis Emmelia fuit antiquitus, quam Lacænæ Virgines modestissimis modis agitabant: quia scilicet hæ Musæ Partheniæ sunt neque Atticarum Virginum more molles, atque eneruės, sed plane Lacænæ, nullo mundo, nulla dote bonorum externorum locupletatæ, sed natiua habitus sui præstantia, ac dignitate contentæ. Partheniæ merito succedit Labirintus ad Phrygium, quem saltum flexuosa versatione Theseus Cretensi monstro deuicto ad aram Deliam celebrauit, quòd nimirum nouorum criminum monstra e suis fraudum integumentis euoluta, Ariadnæ Veritatis ope, Scipio nouus Theseus debellator extinguat. Motoriæ Sta taria de more iungitur Epodos, & quies, qua Musæ omnes ad auram Burghesiæ Lenitatis, ac Beneficentiæ studiorum suorum labores vno

Magni Principis patrocinio recreent. Postremo loco Nicatismus ponitur, Tripudium pro Victoria: propterea quod Philosophia, deuictis inscitiæ tenebris, è domesticis sapientium vmbraculis in adultum gloriæ solem, Burghesiæ lucis Aurora ducente procedat.



CALATISCVS

SALTATIO HILARIS AC FESTIVA.

VIden, vt lentos inter Zephiros
Aestate graui pressus anhelet,
Inque Autumni pronus Amores
Langueat Annus! Iam Pomona
Inter Charitum mixta Choreas
Salit, & peplo vaga pampineo
De vitigeno purpurat ostro.
Quin tu Aonidum candida pubes
Nube curuli vecta, Quirites
Inter Zephiros, age, quin agitas
Et voce modos
Gressuq; modos? En Burghesia
Pomona suos
De Palladio semine fructus
Legit, & plenis decorum calathis
Castellina laudis adultum
Metit Autumnum.
Age Burghesios ordire modos
Nube curuli vecta, Quirites
Inter Zephiros Thessala pubes.

PARTHENIA

Saltatio Temperata.

QVæ virtus animi maxima cæteras
Laudes Burghesio ductitet in choro,
O Lux Dardaniæ, Scipio, purpuræ.

Sit quæsisse labor longus, & irritus:
Nam dulci eloquij nectare si madens
Facundæ referas lactea copia
Mente è Palladia, dona Quiritibus:
Præuertit reliquis prima sororibus
Suadela Italicis cincta leporibus,
Si rem consilio transigis, & manu
Tractas herculea, Dux Aginorea est,
Si frontis referas fulgur amabile,
Parco & sole grauem detegis Iridem,
Ducit Pax, sequitur casta Volupia
Nexa inter Charites. Vnus in omnibus
Vibras Ausoniis Scipio pulchrior:
Calthis mixta velut virginibus rosa
Prælucet Zephiro nubilis obuio,
Dum Mundus melior verna crepundia
Attrectat reduces inter Ethesias.
Quod si Cecropiæ Palladis intima
Perlustras animo, prima videbitur
Laudis Scipiade Pallas in ordine.
Dos est quæque suis æqua sororibus;
Vnus syderei, Scipio, tu Chori
Ductor vel patrio maior Apolline.

LABIRINTHVS
ad Pyrricham
Saltatio implicata.

MIlle in orbium recursus Phœbe saltum circina,
Dædalæos per labores lege due Theseia.
Monstra quot nigrantis Orci fœda mater criminis
Styx refundit, explicato cælitum subtegmine.

Viget

Vrget assequuta victrix Vaticana Veritas;
Patrioq; adurget Orco, Scipione Theseo.
Mille in orbium recursus Phœbe saltum circina
Dædalæos per labores lege duc Theseia,
Quale textum Arachne librat pendulâ fallaciâ,
Dum plicandos implicatis torquet orbes orbibus,
Inuolucris euolutis viscerum de stamine,
Mille ducit per Mæandros fusa ventris vellera,
Turbinatim euisceratis ad tigillum fraudibus.
Mille in orbium recursus Phæbe saltum circina
Dædalæos per labores lege duc Theseia
Nulla fraudū pensa voluit, nulla damna ciuium
Faustitas Arachne texit murice in Burghesio,
Mille virtutum nitores, mille laudum stellulas,
Gloriarum mille lusus, mille pingit Gratias.
O perenna sospitatis tela sit Burghesia:
Vita morū, pompa honorum, fama Romæ hic texitur.

E P O D O S.

Ad Spondeum

QVIES.

PRæcentor rapidam siste Choream,
Si quis Dardaniæ spiritus auræ
Tranquillo recreet mollia flabro
Nostri damna laboris.
Audin! Quæ placido fœta susurro
Tranquillo decorum flabilis imbre,
Vndanti quatiens nectare pennas
Aestum temperat aura!
Agnosco pluuio fertilis auro
Felix Scipiadæ flaminis aura
Cœli delicijs mota solutis
Roma spirat Amores.

Illa

Illa præcipitem mille periculis
Lembum Palladia merce vehens grauem
Castelline, tuam sydere dextero
Portu sistit amico.
Viuat, spirat, agat nectare turbines,
Nubes Burghesio dissipet æthere,
Laudes Burghesia ventilet area,
Cœli messe beata.

NICATISMVS:
Ad Pæana.

Saltatio Ludibunda.

AGe subita, age rapida
Sine mora:
Pede supera quate sola,
Vaga cohors.
Age Victori saliamus, io.
Cedite tenebræ, cedite doctæ
Castellini pectoris arce.
Lucida victrix en Burghesia
Aurora nitet mentis nebulam
Disijcit omnem,
Age subita; age rapida
Sine mora.
Pede supera quate sola,
Vaga cohors.
En Burghesiæ purpura lucis
Quicquid falsi caligo dedit
Sudo reserat lumine Veri.
Io vicit, io deturbauit

Cali.

Caligantis nubila noctis.
Io viuat, io regnet in omnes
Vrbis Amores: Orbis honores
Regnet in omnes, io Rurghesia
Purpura lucis.

F I N I S.



MILLINA THEMIS

Eminentiſs. Principi
I. O. GARSIÆ
Card. Millino decantata

Dum Petrus Articus Philoſophiam defenderet in Sem Rom. Ann. 1615.

MYSTAGOGVS.
Siue
AD MILLINAM THEMIN
manuductio.

THEMIS a Græcis Nicoſtrata, a Latinis Carmenta dicta, ab omnibus Iuſtitiæ Dea credita, mater Euandri de Mercurio fuit: prima Palatinum inſedit, ipſum priſcæ nobilitatis caput: ſorores habuit duas Poſtuortam, ſiue Poſtuentam præteritarum rerum memorem inprimis, & Anteuortam, ſiue Portimnam futurorum inſpectricẽ: quòd Carmenta optimi conſilij Heroina ex præteritorum cognitione præſentia regeret, & futurorum antecapiens, incertos euentus certò prædiceret, Numinis authoritatem adepta, & in Hetruria primis donata templis, & Carmentali Flaminio, ex quo priſci Haruſpices prodiere. Filias genuit tres Dicen, Eunomiam, & Hirenem, quòd ex vno Iuſtitiæ fonte, conſilia, leges, omniſque Reipublicæ tranquillitas deriuentur:

affinitate, & cognatione Atlantides, Parcas, Horas, omnemq; ferè Cæli gentem complexa, multiplici munimento stabiliuit familiam integerrimam. Ab ea, rudis disciplina veterum astricta legibus, instructa moribus, ornata virtutibus, ab ea fons omnis æquitatis, mens, & animus, & consilium regnatricis Vrbis emanauit. Atque illud sanè fuit qua de re, multa mihi cum animo agitanti super inclyta familia Millinorum, nulla antiquorum Heroum cognatio similior sit visa, quam Themidis. Vt enim in omni laudum genere floruerit eximiè semper Millina gens: tamen in priuata morum disciplina, publicaque rei pacatæ administratione (bellica etiam virtute pollens eatenus, quoad necessitudini Patriæ consulendum fuit) excelluit vna de paucis: vt si Poëtarum more, omnis Romanorum Posteritas in antiquum aliquod Deorum genus referenda esset: Millina cognatio iustissima tractatione Reipublicæ, & perpetua æqualitate virtutum quasi vultu, & colore Themidis indolem spiraret ipsam. Quamobrem consecraturus ex instituto maiorum in hoc publico Musæo gloriæ, virtutem aliquam Eminentissimi Principis, non nisi ipsam Iustitiam ponere debui, quæ & moderationem eius animi, & totius familiæ specimen aliquod in amplissima Carmentæ familia præseferret. Themidis igitur signum terminale statui (cuius generis monumento ij tantum Heroes donabantur, quorum vita ad Iustitiæ normam facta esset omnis) figura quadrata, recta, alta, plana, simplici, vt veluti vitijs resectis omnibus, iustissimam Principis nostri vitam, & ab omni parte libratam ostenderet.

deret. Ad proiecturam, & quasi tabulæ supercilium, hinc quidem Millini Proceres antiqui Postuortæ obiecti, hinc verò Posteri Anteuortæ prospectui dati, mutua virtutum imitatione connexi ad gloriam a superis euocati grassantur, iam ne carminis expertem Carmentam ipsam facerem, Picturæ adieci Poesim occinentem tripartito carmine. Et primo quidem loco Postuorta præteritorum custos, paucos aliquot e plurimis Proceres veteres veteri lingua prosequitur, vt, quod est in prouerbio, Cæcus Cæcam ducat. Tum Carmenta rerum præsentium moderatrix in vno Ioanne Garsia antiquos Heroes agnoscit omnes, eiusque laudes eò delibat parcius, quo modestiam Principis amat impensius. Postremo Anteuorta futura præcipiens, speratam futuræ Posteritatis gloriam adtexit, Millinæ clamidis extremam laciniam: eique fausta, ac felicia omnia spondet, & adprecatur: cui sane & ipse consentiens, ex animo, & remotis fabulis

Ego te


Veram Dei Opt. Max. Iustitiam bonas preces precor, vti sies volens propitia Felicitati Millinæ propagandæ.

Eiusce rei ergo macte hoc hymno, vnica Musarum victima immolanda,

Esto.

POSTVORTA
Siue de Maioribus
MILLINIS.

Poſtuorta. Nicoſtratę. ſoror. antiquaria
Tithoni. abauia. Parcarum. mater.
familias. manium. proma.
viuorum. conda, faſto-
rum. æditima.
Millinorum. caſcorum. meminens.
commemoramentum. hocce.
conſcribillauit. imitaminis.
ſuſcitabulum.
Gnatorum. prognatis. Nepotumquè.
Pronepotibus.



Sauo. Millino. Aedili. Iuri dicundo.
Prætori. Quiritum. cluentiſsimo.
Larti Poſtuorta.

a Dominus
b Dux
c Nobilis
d expulſo.
e peruicax
f clarus
multimode
g paruulā ætatem
h protinus

SAuus Curitum [a] *Dubenus, ac* [b] *lártes*
[c] *cluens*
Hinc perduellium [d] *exagoga* [e] *peruicus*
Hinc Modiperator mãſues Pacis Vrbicæ,
Reperibitur Orbi [f] *manus aliquotfariam.*
Vix [g] *populam æuitatem incepſit puerus,*
Olli allubeſcens [h] *protinam Iouis Pater*

Lucu-

[a] *Luculentitatem* [b] *optimitarum optumam* — a affluētiā
Expectorato expectorauit pectore. — b felicitatū
[b] *Socienus* [c] *ollum, demagusq;* [d] *Marspiter* — c Socius
Multesima inclytum [e] *simitu ex adorea* — d mars pater
Amplauit [f] *altrouersum* [g] *elucificans.* — e simul
Atque utque quippini celerāter perduit — f in alterā partem
Compauperatos perduelles hosticos, — g illustrans
Metu gelantes & [i] fragentes miseriter — h statim namq;
Tamquam [K] fraxillos pedibus occulcans ferox — i languētes
In miserias [l] *adassit* [m] *implicifcier.* — K villos sordidos.
Eccum Curuli, & pellibus, sago, & toga — l adegit
Foris Tyrintium, & Aristidem domi. — m implicari

Francisco. Saui. F. Demostheni. rhetorisanti. Heremitanæ. familias. Modiperatori. in. togata. demum. Gallia Summati. sacrorum. Antistiti.

INdulgitate syderum optimatium
[a] *Gignatus astris* [b] *mantat in terris,* — a natus
Sanus — b manet
Franciscus. olli tenera per crepundia
Suadela fautrix [c] *dapsilis puroputo* — c liberalis
Aculeata dulcitatis nectare — d illuuie
Inhumigauit labia [d] *conflugæ aurea.* — e è saxo editos
Hinc eloquenti turbinatus Circio — f indomito:
Tenebriones calcitrones Cælitum — g rapere
Ditis [e] *petrullos* [f] *ininges, qui* [g] *rapsere* — h insidiari
Auerruncare [h] *vulpinari* [i] *præbitere* — i perimere
[K] *Prodius bona sacra occepserāt adipalia* — K propius
Pepulit [l] *tropæo* [m] *insolo in pœnas graues.* — l trophæo — m insolito

At quid sacrorum demum in penetralibus
Præses repostus Insulis maioribus
n adipiscetur *In sacra pergit: scilicet, mox Numinis*
Hæreditatem n *apiscet effertissimam ,*

Lucæ. Saui. F. vitæ. honestitudine. &. morum. temperatura. insigniter. insignito. futurorum. Anteuorto. Mirandorum. mirando. effe. ctori, superstiti.

P*Ropinquus astris, maior & Gnatus Patre*
a pubes *Primum vbi* a *prorectatus leui è prætextula*
Togam imbuit. Philautia & Volupia
b fallere *Ollum volebat fraude* b *vanare* c *oblitea.*
c inutili *Illa scelerosa fascinatrix, malacinis*
d splẽdidè vestita cro. *Patagijs* d *patagiata crocotulis,*
cotes. *Cyrrata, mæandrata, vermiculatior*
Vel dædalis emblematis asaroticis ,
Quæ cũ remulcans lactat adulatrix mala
e ostentat sinum vsq; ad papillas *Et se* e *expapillat mammeoso de sinu :*
f vnco trahit *Adhamat , heu* f *inuncat ,* g *ignauat ,*
h *euirat*
g ignauum reddit *Iuuenilitatem ductilem in noxitudines.*
At semet vbi disquammet, atque i *excy-*
h effœminat *cladet ,*
i expoliet *Ipso macellior* K *macore, & macerie*
K macrior *Resupinat omnem, semet, in pænitudinem*
Hæc illa nostro Principi iacta obuiam
Sese illatebrat pulta ceu extraria .
Huiusce tum mẽs corpore è medio micat,
Futu-

Futura & anteuortitin pranuncio l magis mi-
Et l *miriora mirior functus patrat.* ra

Ioanni Baptistæ. Saui. F. Primori Vaticana, de concha, immuricato.

B*Aptista gnaritate sapientipotens*
Quantū est auorū a *seneca literosior* a senex
Quod b *forium & hortum Posteris sua* b felix, fau-
fuat. stumque.
Prior Architectus muricem inflexit domū
Opereq; pinxit vaticano purpuram
Sibi quietem maxumam, sed Posteris
Blandum illud animi, & inquies suscita-
bulum.

Celso. Iuniori. Petri. F. Honestissimo Vrbis illicio & delicio.

A*Des o Honorum auriga, amorumque*
a *trabax* a rapax
Lepido lepidior, Celsule, Vrbe urbanior
Labioq; vel nauratior Chrisostomo,
Tu cinnamomum, stacte, tucetum Iouis
Mellino omni melle mel mellitius,
Rosa verna, flamma hyberna, æstiuus Ze-
phyrus,
Pracox odorum, fructuumq; Autumnulus.
Charitum Charitulus, chariessa charior
Nitidis Nitelam antenites nitoribus,
Ipsum Volupia collubentina volup.

CARMENTA

Siue de Eminentiss. IOANNE GARSIA Cardinali Millino.

Carmenta. *VEteresnè placet carmine laudes*
Aptare nouis, Postuorta sorori
Prisca recenti sæcula confer,
Adde & auitis laudis aceruis
Decorum cumulos.
Adde, futura fidei quantas
Dedit insidias prisca vetustas,
Mundusq; abauus quot miracla
Mundo peperit falsa nepoti;
Procul adscitas Veterum dotes
In Duce natas cernimus vno.
Parcæ rigida sorte minaces,
Hora propero calle fugaces,
Huic lenta precor voluite pensa.
Ducite sæcla.
Agite ò mecum, musica pubes,
Si Millini Principis aureos
Ducimus annos præeunte gradu.
Laude sequaci percurramus
Et Millini Principis annos.
Sic fatidici Carminis author
Carmenta volo
Et dicamus si sentimus.
Felix nostros viuat in annos.
Omnes. *Ita sentimus, diximus omnes*
Felix nostros viuat in annos.

Diua Millinarum operosa laudum Carmenta.
Romuli iuris genitrix Themista
Principis magni generosa finxi
Pectora mater.
Consilij ductrix opulenta Dice Dice.
Mille non noti reserata Veri
Lumina indulsi. facilis sequetur
Dextera mentem.
Cincta pax albo decorum maniplo Hirene.
Mentis apricor placida sub auram,
Ora tranquillat resoluta sole
Iris adulto.
Plurimo spirat facies honesto Eunomia.
Dulce baccatur charite frequenti
Vocis afflatum decus, & datarum
Gloria legum.
Perge Carmenta docilis magistra Carmenta.
Prodige ò Recti sator, & reposta
Iura virtutum moderare Paulo
Alter ab vno.
Parcite ò Parcæ soboli Themistæ, Omnes.
Ite per seros sine fraude fastos
Mille Millinis iterumq; mille
Voluite sæcla,
Age nunc rursus musica pubes Carmenta.
Mecum susceptum itera votum.
Felix nostros viuat in annos.
Ita testamur Omnes.
Ita spondemus. diximus omnes
Vouimus omnes. Carmenta.
Tu bone votis annue Princeps
Tu bone dictis Milline faue *Aue.*
Semper auebit.
Sed quæ nostra posthuma vocis

Echo respondet? *spondes*
En Echo nostris æmula votis
Spondet & annos. Nunc ergo meæ,
Turma, sorores.
Nunc Millino mille atque iterum
Mille, atque iterum voluite longos
Procul hinc menses. *enses.*
Procul hinc enses. bellica ponat
Fulmina Mauors, veteremq; coquat
Bilem in somnis consopitus
In Burghesia pace Quirinus
Grata factus vice Gradiuus. *diuus*
Hirene ruat perdita castra. *astra.*
Bene collimas. Diuus in astra
Per longæui Nestoris annos
Complanato calle redibit *ibit.*
Ibit in astra
Editus astris illum prima
Illum extrema sorte beamus.
eamus.




ANTE-

ANTEVORTA
Siue
DE FVTVRA POSTERITATE Millinorum.

ITe per inclytos
Maiorum titulos ite Nepotuli.
Heroum nitida exite propagine
Gemmantes latiæ vitis ocelluli,
Millina geniti de Berecynthia:
Ortu exite nouo, exite superbuli
E noctis crepero margine phosfori.
Ite per inclytos
Maiorum titulos ite Nepotuli
Prisca ducta fide linea principum
Numquam dissimili discolor indole
Ipsi vel titulis obstet origini.
Nam quamquam decorum plurima iam seges
Sit lecta ex Atauis: attamen æmula
Virtus vestra, satis fata laboribus
Priscam multiplici fanore gloriam
Semper restibili stirpe regerminet
Ite per inclytos
Maiorum titulos ite Nepotuli.
Arridet variæ laurus adoreæ
Mauortis rapido turbine mobilis?
Cattorumnè gelu immobile perplacet
Victorum calido rumpere anhelitu?
Infausta Odrisiæ cornua Cynthiæ
Attentasse iuuat? pergite. non semel
Millina metitur laurus in area.
Ite per inclytos

Maiorum titulos ite Nepotuli.
Vultis posthabito Marte in Apollinem
Mutato in cytharam vergere clasfico?
Et tentare adytum Palladis abditum
Facturi placido sacra Mineruio?
Iam docti latebras pectoris alluit
Cyrrai laticis casta perennitas,
Peplum Cecropia Virginis intimum
Maiorum varijs textile laudibus
Monstratur patrijs in penetralibus.
Ite per inclytos
Maiorum titulos ite Nepotuli,
Sed pacata rei munera publica
Arrident potius, iuraq; Gentium
Natiua Themidi grata negotia
Tractare, Ausonia faustum opus alea,
Pictas per trabeas ardua vos manet
Maiestas solijs nixa curulibus.
Forsan vos (animo consona sit Themis)
Tentet tergeminis tollere honoribus
Vaticanus Apex. Auguror, auguror.
Iam super inclytos
Maiorum titulos ite Nepotuli.

FINIS.




ORA-

GRATIAE VIATRICES

Chori Emodulati

Emiuentifs. Principi
BENEDICTO CARDINALI
Iuſtiniano.

Dum Philoſophiam propugnaret
FABRITIVS FONTANA BONONIENSIS.
Anno 1613.



Epiſtola ad Eminentiſs.
CARD. IVSTINIANVM exponens Gentilitÿ Emblematis ornatum.

VT Comitatem, ac Beneficentiam tuam leuiter adumbrarē(Princeps Eminentiſsime)ipſas Gratias beneficiorum olimDeas vix reperi votis meis,& virtutibus tuis pares. Hæ ſiquidem te dum Bononiæ cum Summo Pontificiæ Legationis imperio præeſſes, rerum magnarum tractatione,& dignitatis maieſtate ſublimem, ita comitate morum facilem vnicuique reddebant, vt in ipſo terrore clemens,ex ipſa ſeueritate blandior effulgeres. Hiſce tu gratijs,& animos rapis etiam nunc omnium, & ad tui nominis patrocinium potiſsimum bonorum ingenia,



& bonas artes inuitas, inter quas postrema sensit hanc vim philosophia mea nuper adulta, quæ ad gentiltiā tuam turrim, ad munitissimam suæ salutis arcem aduersus obtrectatorum inuidiam, Gratiarum tuarum manu ducta pergit. tu illam quando humanitate mentis inuitas, hilaritate frontis excipe, & quam maiestate terres, tuere comitate. Ego sanè vt ad humanitatem tuam, meam quoque in te obseruantiam quasi extremam gloriæ tuæ laciniam adtexerem, gentilitias meas fontanas aquas describi volui in Emblemate, quæ per varia vndarum diuortia, perquè lusus erratico nymbulo subinde diffluentes dissipatæ, in tuum obsequium collectæ demum, gentilem tuam Turrim obsequio cingerent, non tam munimento salutis, quam ornamento felicitatis tuæ.

Vale.



EVPHROSYNAE ad Philosophiam.

MODVLATIO PRIMA.

Opus est tenue.

HVC ò latinæ Matrona pacis.
Deuota magnæ virgo Mineruæ,
Huc ò sereno prognata Cœlo
Soboles Numinis, animi Lucida
Fulminatrix,
Molire gressum, pernix beata
Auriga mentis, quà te canoro
Soluta plausu vocat Thalia
Vocat Aglaia, vocat & tertia
Demorantem.
Quà temperatis succedit astris
IVSTINIANAE turritus Arcis
Vertex, latinæ tutamen Aulæ
Decorum Regia, Charitum Patria
Sospitatrix.
Magna hic superbit rerum Potestas
Fastigiato præcelsa crine
Et Romulaum cincta peplum
Latio murice: latio fulgure
Purpurantem.
Sic circum, & infra decens Venustas
Offusa, vultus bellacis iras
Dulci colorat nitore pacis,
Oculum sydere, faciemque Iride
Conserenat.
Ceu cum subacto Pallas Typhæo
Sudore dulci perfusa crinem,

Tri-

Terrore blando molita risum
Placido lumine tenero fulmine
Sæuiebat.
Huc ergo magnis succede tectis
Seruata magnis Virago fatis,
Secura palmæ, secura famæ
Triplicem percita sequere Gratiam.
Nos eamus.

AGLAIA AD COMITES

MODVLATIO II.

QVin de dubio calle viarum
Consistamus, si placet, omnes,
Quin hic rapidi solis hyantes
Fallimus æstus; Hic vbi Rheni
De natali gurgite lapsa
FONTANA leui lympha susurrè
Liquidè explicito spumea glomere
Fingit tenero frigore brumam,
Quæ modo lento seria passu
Tarda quietum gelido replicat
Calle volumen: modo per lusus
Iactata leues, placida exultim
Micat illecebra, peruia zephiro
Suspiranti. modò de Solis
Ebria radio, multicolores
Agit in maculas, tremulà bibulas
Iride guttas:
Modo nymbisonis lapsa ruinis
Et præcipiti vagâ naufragio
Pessum dabitur, profusa sui.

Sed

Sed non temerè profusa sui,
Vertice demum de multiplici
Collecta simul, nostroque vni
Deuota bono,
Ad purpurei Principis arcem
Liquidum obsequium, circumfusis
Circinat Vndis.

THALIA AD COMITES

MODVLATIO III.

Age subita, rapida remea
Vaga turma Domum,
Celerifuga repete Patrios
Domiduca lares.
Cita sequere, sequere Sophia,
Properate Duces.
Ne dum voce diem ducimus irritum,
Titan occiduò labilis impetu
Vdas oceano præcipitet rotas
Frangatq. in scopulos Hesperios diem,
Vmbrarum genitrix proxima nox adest
Quæ circum gelidis acta iugalibus
Sopitis operit prata coloribus.
Age subita, rapida remea
Vaga turma domum:
Vidistis Stygijs cautibus editum
Anguem? iras maculis horridus asperat,
Obstruxitq. vias obijce missili.
En multo rabies stridula sibilo
Iam de tergemini gutture fulminis
Molitur Stygio vulnera toxico.

Sed

Sed laxate metus, occidet, occidet
Python purpureo fusus Apolline;
Celeri fuga repete Patrios
Domiduca lares.
Heu, Cœlum, Aeolidum patria flabilis
Ventorum tremulo dissita turbine,
In diuersa truces dum rapiunt noti,
Mollescit pluuio deliquio madens
Ereptum horrisono funere Delium
Suspirant rigido flamina sibilo,
Deplorant gelidis sydera lacrymis.
Vultu nubigena Iuppiter horridus
Dum multo zephiros implicat Africo,
Iam cœpit liquidas in furias agi,
Sæuis parce minis, parce Diespiter,
Saltem dum patrios sistimur ad lares
Cita sequere, sequere Sophia,
Properate Duces.

OMNES SIMVL.

MODVLATIO VLTIMA.

Procul ò procul dolores.
Iam prospero expetitam
Cursu tenemus arcem.
Durum genus laborum.
Hoc vltimum valete.
Curæ procul seueræ
Satellites Quietis.
Sepulcra per nocentum
Errate noctilucæ,
Ditemq. adite abactæ.
Nos mille de periclis

Iam

In patriam perennis
Enauimus salutis ;
Cæli minantis acres
Euasimus furores
Adegimusq. in Orcum
Pythona sæuientem .
Vnus Heros tot bonorum purpuratus artifex,
Mille viuat vnus annos , mille regnet millies.
Pax hic parens nitorum
Blando soluta risu
Inter globos sororum
Dulces init choreas.
Cui turbinata crispo
Oliuagiro adulat
Mille osculis capillum ;
Cui pectoris crepantem
Vndatilemq. peplum
In baltheum obuoluta
Taumantias colorat ;
Melopeia gratiarum
Hiantibus Labellis
Melos eliquat canorum.
Vnus Heros tot bonorum purpuratus artifex,
Mille viuat vnus annos, mille regnat millies.
Cœli genus Voluptas
Hic nectaris caduco
Temulenta rore crinem
Spatiata per rosarum
Hyblæa purpureta ,
Per aprica regna odorum ,
Calathis opum reclusis
Veris aperit medullam ,
Vnus Heros tot bonorum purpuratus artifex,
Mille viuat vnus annos, mille regnet millies .

LAVS DEO.

AMOR FVGITIVVS

Melodrama æthereum

Pro Ludis Virginalibus
DIE NATALI DEIPARÆ
in gratiam Seminarianæ Iuuentutis

PERSONAE

Chori ductrix Cælestium, siue Pietas
Chorus Cælestium, siue cogitationes piæ.
Arcturus
Orion
Chorus Pleiadum } quorum habetur mentio in Sacris literis.

ACTVS PRIMVS.

Chorus Cælestium, & Chori duct.

Cho. D*ICITE volantum Principes.*
Duct. *Quò nam volauit cælitum*
Princeps Amorum! dicite.
Amor hinc abijt, sed quònam abijt
Est vna mihi scire voluptas,
Dicat superum si quis amantum
Nouit Amorem:
Cho. *Nouimus omnes*
Quid sit Amor. sed quò nunc fugerit, hoc
Fugit omnes.
1. Cho. *Rem miram; non cerno facem, sed sentio flammas*
2 Cho. *Corde nouum infixit iaculum, mox occulit arcum*

Ch. Duc.

Ch.Duct. *Stat mihi per omnes ætheris magni plagas Scrutari Amorem.*

3.Cho. *Pergimus, si quos vocas, expone, quos optaueris.*

Cho.Duct. *Quando hic indagandus amor, capiendus & astu*
Exploratorum genius Venaticus, auceps,
Audaculus, versutulus
Videtur in rem maximè:
Nil puto magis decorum hic arte delatoria
Nil magis ex vsu est arte satellitia.

Cho.. *Ibimus omnes*
Deferemus, arguemus, comprehendemus ferum.

1.Cho *Si quis illum offendat autem, si quis illum ostenderit:*
Quale munus assequetur?

Omnes alij *Plena merces est Amor.*

Ch.Duct. *Cursores etiam hic velim*
Hic, & equis, pedibusq; opus, & talaribus alis.
Velox nimium transcurrit Amor
Fugit ac refugit nescio quònam,
Nescio, & vnde: spirat vbilibet
Ipse sibi stadium, circus, & ipse sibi,
Meta sibi, carcerque sibi, stimulus, rota, cursor

2.Cho. *Si mihi spes hic rapinæ tam beatæ offulgeat,*
Artes ego Cursorias
Promptus exercebo terris, & mari pyraticas

3.Cho. *Ibo citatus*
Frenato Zephiro sedens

4.Cho. *Mutuas dabit quadrigas cursui Titan meo*

5.Cho. *At mihi trigam spopondit officina fulminum*

Omnes *Ibimus ergo omnes: cælestis nempe in Amoris*
Curriculo rapitur velox cuicumq; viget cor

Ch.Duct. *Ergo si cunctis placitum est vt eamus; eamus.*

eamus,
Arma sed cauti feramus apta magnis vsibus
Apta conquirendo Amori, continendo idonea.

1.Cho. *Amor est ignis flammeus ardor*
Aliqua in vena silicis forsan
Latet abstrusus.
Mecum ergo Chalibem detuli;
Meum cor, inquam, plurimo
Ictu precum versatile
Organum excudendo Amori prorsus igniarium.

Chc. *Cor mihi contrà*
Materia flammæ obnoxia, fauillacea est,
Pabulum planè paratum nutriendo Numini.

3.Cho. *Amor est teneri flaminis aura*
Pluuio circum rorata Deo:
Cor propterea mihi diffusis
Vndique votis collatatum
Sinuatur instar carbasi leuissimi,
Captando Zephiro machina congruens.

4.Cho, *At mihi pectus per vota capax*
Concha est, Cæli rore marito
Dulce replenda;
Ecce mihi in gemmas iam iam tenerescit ab illo

5.Cho. *Amor alatus volat, & reuolat*
Mille per auras ocyor auris;
Hinc ego volucri nuper amori
Venabundus, circumiectis
Mille votis rete magnum corde toto intexui

6.Cho. *Quid si secabo pinnulas? immobilem*
Apud me Amorem stare compellam Vagum

Ch.Duct. *Quid* moramur? *iam tenemus arma in*
Hostem amabilem.
Et preces, fletus, & iras, vota, spes, suspiria:
Aucupando hæc sunt Amori tela, viscus, retia

Chor. *Ergo eamus. At quo eamus? quamuè scrutamur prius*
Regionem amicam Amori?

Ch-Duct. *Summa petamus culmina rerum*
Hac illi secreta domus penetrale Tonantis
Cum nato, ac Genitore tenet par numen vtriq;
Corde Patris, corde nati viuit vno anhelitu.

I.Cho. *At nos eò deuenimus.*

2.Cho. *Verum quid video? Prodigium insolens.*
Descensum parat è Cælo primæua Parentis
Par Patri magno Soboles, & Amoris origo.

Ch.Duct. *Accingit en se Natus omnino in Viam*
Nil ergò mirum fuerit, si prodromus illi
Iam præcessit Amor facilem substernere callem

1.Cho. *Procul hinc ergo; Cælo, ac terris*
Cursū Amoris persequamur omnibus vestigijs.

2.Cho. *Ergo cursim peruagemur sparsa Cælo sydera:*
Transeuntis nempe Amoris astra sūt Vestigia.
Nam cum Viator Amor in oras exteras
Excurrens rapidam concuteret facem
Syderum sparsit fauillas defluas idētidē.

cum primū Deus operatus est ad extra vt dicunt.

Ch.Duct. *Astra certè nos de Amore certiores fecerint;*
Quippe Cæli sunt ocelli, Cælitumq; lumina.

Omnes. *Ergo sunt duces Amoris, sunt Amoris indices.*

ACTVS SECVNDVS.

Arcturus, Orion, Chorus pleiadum;
Chorus Cælestium, & Chori Ductor.

Cho. Duct. *ARcture custos hyemis, & Boreæ parens*
Dic age amabo

Nam

Nam septem gemino sydere perspicax
(Ceu bisseptem oculis cernere cuncta soles:)
Numquid Amorem toto profugum
Aethere vidisti per septem errare triones?
Namq; amat ille Polum: Polus est quippe
Ille; sequacem
Magnetem cor omne facit: tum nititur illi
Ceu Polo Vertigo mentis,
Nititurq; omnis meorum sensuum rotatio.

Arct. *His primum regnabat Amor sublimibus astris;*
Fixerat hic solium, hic extruxerat armamētū:
Verum ex quo superum cæcus Dux ille Gigantū
Lucifer aduersa concurrit fronte Tonanti,
Atque peculatum tentans magni ætheris, Orco
Secum adegit perduelles Aetheris patritios
Aeternisq; probris Aquilonem
Reddidit infamem; penna stridente recessit
Mox Amor, antiquū placuit mutasse Tribunal
Imo ipsum transferre polum. hinc aliam Cynosuram.
Vndiq; conspicuam mortalibus assore nautis
Hæc secum mussans, nymbosi ad Orionis astrū
Credo ensem rapturus ijt solidè indignatus

Virginem notat quæ Stella maris dicitur.

1. Cho. *Sedes profectò Amore*
Digna procellosus rapido est cum Sydere Orion:
Tempestuosus nempe sic Amor mihi
Mouet procellas, cordis exquassat ratem,
Votisq; iactatis in altum
Mortales æquat superis, permiscet Olympum.

2. Cho. *Cerne quid hoc dicas! Vagina occlusit Orion*
Ensem nymbiferum mutata fronte serenus.

3. Cho. *Nimirum Amorem excepit hospitio Vagum.*
Hospite cum tanto genialiter exigit horas

Cho. Cæl. *Redde nobis, redde Orion æstuoso è sydere*

Fuga.

Fugacem Amorem: quem tuis
Clusum latebris detines:
Nouimus id certò; non sine fraude negas

Orion. *Verus vtinam esses, abijt hinc ille ocyus,*

Cho.Cæl. *Dic precamur quò recessit? sic tibi ad nutum ferox*
Seruiat Oceanus, & Venti iura capessant.

Orion *Ipsum doloris asperi locum moues.*
Nā posuit noua Iura meis Amor ille procellis;
Sydere dum nostro excurrit velocior astro,
Hæc mihi dicta dedit.
Mare nouum aperio vni mihi natabile Mariam intelligit.
Caue ne tonitru, nube, ventis, imbribus
Perturbes nostri Pelagi dulcissima regna.
Quid tibi feroci, cum Theti mitissima?
Ius mihi solum est
Huius in Oceani tridentem:
Talia fatus Amor
Pleiadum tractus petiit decliuibus alis.

Ch.Duct. *Appositè ille quidem: nam si noua cærula Ponti*
Fudit Amor, tentatq; nouum tranare profundū,
Pleiadum meritò Stellis insistit amicis:
Harum etenim exortu, primis librantur in auris
Carbasa, & instratis lenitur fluctibus Annus,

1.Cho. *Verum ibi nullus Amor,*
Nam septem quot quot Tauri stellātis ad ima
Densantur genua Stellæ, tot cernimus Vrnis
Rorantes inter Zephiros affundere guttas

Ch.Cæl. *Vnum vos petimus septeni ò luminis astrū*
Florum parentes roscidæ, ac veris duces
Dicite Virgiliæ, nam vestro sydere Classem
Iam molitus Amor, pelago dat Vela recenti.
Dicite quas oras tandē, & qua mente pererret.

Nuper enim vestro soluisse è littore Fama est.

Ch.Pl.*Fama tulit,nec falsa: meo nã sydere soluit*
Hoc prius edicens,vt septem fontibus omnem
Dulcè liquaremus tranquillis roribus vndam
Nõ secus, ac quondam Vellus Gedeonis apricũ
Strauimus alluuie tenera guttantis Olympi
Hac vbi iussa dedit,pluuia demissus odora
In Syriam direxit Amor cum gressibus arcum

Cho.Duct.*Nunc ego Amoris sentio mentem*
Nouumq; rerum intelligo tandem statum.
Alter ab integro sæclorum ducitur ordo
Ille exoptatus: pacato deflua nymbo
Isa.45 *Iustitia erumpit Cæli rorantibus astris*
Forte & parens Tonantis
Iam fulsit Orbi Virgo .: nempè illam notat
Stella maris, mare & ipsum, cum Gedeonis aquoso
Vellere, cui septem diuini fluminis ampla
Dona ferens migrauit Amor Iordanis ad Vndas
Hæc domus, hoc adytum ,hoc regale tribunal Amoris.

Cho.Duct.*Et nos hic stamus?valeant iam sydera, Princeps*
Hanc sibi delegit Aulam,nec volamus aulici!
Dux vbi consedit,turmas consistere par est.

ACTVS TERTIVS.

Chorus Cælestium,& Choriductor.

Cho. *PActo steterunt sydera*
Duct. *Nec spes fefellit lubrica ex adest: Amor.*

1-Cho.

1.Cho. *Io terrigenæ*
2.Cho. *Et io superi*
Omnes. *Io centenis, io milleris*
Circumsonent Pæanibus;
Tenemus hic Amorem
Cho.Duct. *Anna parens, seniorq; parẽs fælicibus astris*
Tandem dedere Natam.
Qua nulla præda gratior Amori fuit
2.Ch. *Sed dum venari hanc tentat, captatur ab illa;*
Amor ecce custos nennat ad cunabula:
2.Cho. *Omnia qui vincit iam pupa vincitur Vna.*
Cho.Duct. *Nos verò inuentum cur non capiamus*
Amorem!
1.Cho. *Sed quò se occuluit fugax?*
2.Cho. *En adest.* 3.Cho. *Imo recessit,*
4.Cho. *Semper hic præsto fuit*
5.Cho. *Fugit: edico sequamur. iã redit, consistite*
1.Cho. *Extenta velox huc age retia;*
Nam video quò se occultet versatilis ille.
Inter Capillos Virginis tectus latet.
Illa sedes est Amoris, sylua densa crinium,
Sylua virgultis odora. Sylua ramis aurea.
Nam Syluam tenet ille, Fabro quæ cædua nulli est
Vnus Amor tantũ hic opifex iacularius auro
Flexibili quot fila trahit, tot spicula tendit
Virgo donec colli in vno crine spõsum vulneret Cãt. 4
Has Amor tenet latebras; hic tenendus est
Amor.
3.Cho. *Imo alibi consedit Amor: non cernis? amæna*
In fronte Diuæ sculptor effectus sedet.
Illa sedes est Amoris ambulacrum regium
Illa ceu frontata Mystæ supplicantis lamina
Quæ stylo Mosis notatas præferebat literas Exod. 28.

F 2 Has

Has gerit notas, amoris exaratas fulmine.
Gloria sit superis, & Pax amplissima terris,
3. Cho. *Falleris. alibi se condit Amor,*
Cernis vt oculis pronus vtrisque
Studet alterno dulce volatu?
Solem Olympi dereliquit, hac vt astra volueret,
His rotis Amor vagatur corda per mortalium.
Quin imo & instar solis hinc oriens Amor
Vertitur, reuertiturq; semper hos in circulos
3. Cho. *Hallucinaris tu quoque.*
Assidet ille genis adhibens oculosq; animosq;
Illustris Pictor fulmine peniculo.
Cāt. 4 *Punici mali colores lactis in candoribus*
Emaceratos vultui Diua imprimit:
Cāt. 5 *Nempe candidè rubentem*
Sponsi Tonantis pingit imaginem:
Vnico in Vultu puellæ penè numen integrum
Hic Apelles lineis conclusit immortalibus.
4. Chor. *Male deciperis tu quoque. Video*
Altiori confidentem colle Amorem prouidum.
Culmen extollit decorum recta naris gratia.
Hic Amor excubias agitat, custodit & arcem,
Vt quondam ex turri libanotide castra Da-
Cāt. 7 *masci,*
Hostium & insidias procul inspectasse feruntur
Assyrij vigiles: ita custos culmine ab isto
Iam præsentit Amor turmæ, Plutonidos iras
Bellaq; odoratus Satanæ, iam dirigit arcum.
5. Chor. *Crede mihi te fallit Amor: latet ille beatis*
In labellis; verba & illic machinatus aurea
Mollitudinem elaborat artifex lactarius,
Cāt. 4 *Elaborat dulcitates artifex mellarius,*
Purgat hic Amor liquores, hinc sapores eliquat.
6. Ch. *Tu quoque falsus eris,*

Nonne

Nõne vides? ceruici hærens Amor astitit Athlas.
Quippe genus mortale Erebi per deuia præceps
Dũ labat, ille habili hoc humero sustẽtat amicos,
Hac etiam ceruice iugum Deus ipse subibit,
Seminet vt terris, & messem colligat astris.
7. Ch. *Colligis hic ventos vafro delusus Amore*
Totus papyllis incubat lactens Amor:
Sunt sorores hæ papyllæ, sunt gemellæ in indole, Cãt.4
Nectare vtraq; ingrauescunt numine vno mobiles,
Imò pectus Virginale, Regiam illam numinis,
Hæ tuentur, atque adornãt bina propugnacula:
Pyramis duplex eburna fert Amorẽ in culmina;
Totus Amor nempè his pendet ab vberibus;
Spe non inani lactat hic mundum Deus.
8. Ch. *Tù quoque depicti lactaris imagine veri:*
Diuæ gremium diuinus Amor
Circum totis obsidet alis:
Nactus in Vlnis
Et nido, & soboli materiem inclytam,
Ibi nidificat castus, & Vber
Humano donec generi de Virgine tandem
Exerat fætum salutis fabricator Numinis.
Cernis vt locum feracem nuptialis gloriæ
Ceù periclo obnoxium Cãt.7
Apparatu candicantum liliorum muniat? (gere.
Castra nempè Amoris ambit hoc pudoris ag-
9. Ch. *Lippus es, opinor. perspice.*
Non tam gremium circumdat Amor
Quam Diuæ solidis cruribus insidet:
Quanta Regia hic salutis, quanta moles gratiæ
Basibus superstat illis, & columnis nititur? Cãt.5
Nullus est Sampson in Orbe, nullus est Orco Gygas,

Terrore blando molita risum
Placido lumine tenero fulmine
Sæuiebat.
Huc ergo magnis succede tectis
Seruata magnis Virago fatis,
Secura palmæ, secura famæ
Triplicem percita sequere Gratiam.
Nos eamus,

AGLAIA AD COMITES

MODVLATIO II.

QVin de dubio calle viarum
Consistamus, si placet, omnes,
Quin hic rapidi solis hyantes
Fallimus æstus; Hic vbi Rheni
De natali gurgite lapsa
FONTANA leui lympha susurrè
Liquidè explicito spumea glomere
Fingit tenero frigore brumam,
Quæ modo lento seria passu
Tarda quietum gelido replicat
Calle volumen: modo per lusus
Iactata leues, placida exultim
Micat illecebra, peruia zephiro
Suspiranti. modò de Solis
Ebria radio, multicolores
Agit in maculas, tremulà bibulas
Iride guttas:
Modo nymbisonis lapsa ruinis
Et præcipiti vagà naufragio
Pessum dabitur, profusà sui.

Sed

Sed non temerè profusa fui,
Vertice demum de multiplici
Collecta simul, nostroque vni
Deuota bono,
Ad purpurei Principis arcem
Liquidum obsequium, circumfusis
Circinat Vndis.

THALIA AD COMITES

MODVLATIO III.

AGe subita, rapida remea
Vaga turma Domum,
Celerifuga repete Patrios
Domiduca lares,
Cita sequere, sequere Sophia,
Properate Duces
Ne dum voce diem ducimus irritum,
Titan occiduo labilis impetu
Vdas oceano præcipitet rotas
Frangatq. in scopulos Hesperios diem,
Vmbrarum genitrix proxima nox adest
Quæ circum gelidis acta iugalibus
Sopitis operit prata coloribus.
Age subita, rapida remea
Vaga turma domum;
Vidistis stygijs cautibus editum
Anguem?iras maculis horridus asperat,
Obstruxitq. vias obijce missili.
En multo rabies stridula sibilo
Iam de tergemini gutture fulminis
Molitur stygio vulnera toxico.

Sed

Sed laxate metus, occidet, occidet
Python purpureo fusus Apolline.
Celeri fuga repete Patrios
Domiduca lares.
Heu, Cœlum, Aeolidum patria flabilis
Ventorum tremulo dissita turbine,
In diuersa truces dum rapiunt noti,
Mollescit pluuio deliquio madens
Ereptum horrisono funere Delium
Suspirant rigido flamina sibilo,
Deplorant gelidis sydera lacrymis.
Vultu nubigena Iuppiter horridus
Dum multo zephiros implicat Africo,
Iam cœpit liquidas in furias agi,
Sæuis parce minis, parce Diespiter,
Saltem dum patrios sistimur ad lares
Cita sequere, sequere Sophia,
Properate Duces.

OMNES SIMVL.

MODVLATIO VLTIMA.

PRocul ò procul dolores.
Iam prospero expetitam
Cursu tenemus arcem.
Durum genus laborum.
Hoc vltimum valete.
Curæ procul seueræ
Satellites Quietis.
Sepulcra per nocentum
Errate noctiluca,
Ditemq. adite abactæ.
Nos mille de periclis.

In

In patriam perennis
Enauimus salutis ;
Cæli minantis acres
Euasimus furores
Adegimusq. in Orcum
Pythona sæuientem .
Vnus Heros tot bonorum purpuratus artifex,
Mille viuat vnus annos ; mille regnet millies.
Pax hic parens nitorum
Blando soluta risu
Inter globos sororum
Dulces init choreas.
Cui turbinata crispo
Oliuagiro adulat
Mille osculis capillum ;
Cui pectoris crepantem
Vndatilemq. peplum
In baltheum obuoluta
Taumantias colorat ;
Melopeia gratiarum
Hiantibus Labellis
Melos eliquat canorum.
Vnus Heros tot bonorum purpuratus artifex,
Mille viuat vnus annos, mille regnat millies.
Cœli genus Voluptas
Hic nectaris caduco
Temulenta rore crinem
Spatiata per rosarum
Hyblæa purpureta ,
Per aprica regna odorum ,
Calathis opum reclusis
Veris aperit medullam ,
Vnus Heros tot bonorum purpuratus artifex,
Mille viuat vnus annos, mille regnet millies .

LAVS DEO.

AMOR FVGITIVVS

Melodrama æthereum

Pro Ludis Virginalibus
DIE NATALI DEIPARÆ
in gratiam Seminarianæ Iuuentutis

PERSONAE

Chori ductrix Cæleſtium, ſiue Pietas
Chorus Cæleſtium, ſiue cogitationes piæ.
Arcturus }
Orion } quorum habetur mentio in Sacris literis,
Chorus Pleiadum }

ACTVS PRIMVS.

Chorus Cæleſtium, & Chori duct.

Cho. D*ICITE volantum Principes.*
Duct. *Quò nam volauit cælitum*
Princeps Amorum! dicite.
Amor hinc abijt, ſed quònam abijt
Eſt vna mihi ſcire voluptas,
Dicat ſuperum ſi quis amantum
Nouit Amorem:
Cho. *Nouimus omnes*
Quid ſit Amor. ſed quò nunc fugerit, hoc
Fugit omnes.
1. Cho. *Rem miram; non cerno facem, ſed ſentio flammas*
2. Cho. *Corde nouum infixit iaculum, mox occulit arcum*

Ch.Duc.

Ch.Duct. *Stat mihi per omnes ætheris magni plagas*
Scrutari Amorem.

3.Cho. *Pergimus, si quos vocas,*
expone, quos optaueris.

Cho.Duct. *Quando hic indagandus amor, capiendus & astu*
Exploratorum genius Venaticus, auceps,
Audaculus, versutulus
Videtur in rem maximè:
Nil puto magis decorum hic arte delatoria
Nil magis ex vsu est arte satellitia.

Cho.. *Ibimus omnes*
Deferemus, arguemus, comprehendemus ferum.

1.Cho *Si quis illum offendat autem, si quis illum ostenderit:*
Quale munus assequetur?

Omnes alij *Plena merces est Amor.*

Ch.Duct. *Cursores etiam hic velim*
Hic, & equis, pedibusq; opus, & talaribus alis.
Velox nimium transcurrit Amor
Fugit ac refugit nescio quònam,
Nescio, & vnde: spirat vbilibet
Ipse sibi stadium, circus, & ipse sibi,
Meta sibi, carcerque sibi, stimulus, rota, cursor

1.Cho. *Si mihi spes hic rapinæ tam beatæ offulgeat,*
Artes ego Cursorias
Promptus exercebo terris, & mari pyraticas

3.Cho. *Ibo citatus*
Frænato Zephiro sedens

4.Cho. *Mutuas dabit quadrigas cursui Titan meo*

5.Cho. *At mihi trigam spopondit officina fulminum*

Omnes *Ibimus ergo omnes: cælestis nempe in Amoris*
Curriculo rapitur velox cuicumq; viget cor

Ch.Duct. *Ergo si cunctis placitum est vt eamus;*
eamus.

Chor. *Ergo eamus. At quo eamus? quamuè scrutamur prius*
Regionem amicam Amori?
Ch-Duct. *Summa petamus culmina rerum*
Hæc illi secreta domus penetrale Tonantis
Cum nato, ac Genitore tenet par numen vtriq;
Corde Patris, corde nati viuit vno anhelitu,
I.Cho. *At nos eò deuenimus.*
2.Cho. *Verum quid video? Prodigium insolens.*
Descensum parat è Cælo primæua Parentis
Par Patri magno Sòboles, & Amoris origo.
Ch.Duct. *Accingit en se Natus omnino in Viam*
Nil ergò mirum fuerit, si prodromus illi
Iam præcessit Amor facilem substernere callem
1.Cho. *Procul hinc ergo; Cælo, ac terris*
Cursũ Amoris persequamur omnibus vestigijs.
2.Cho. *Ergo cursim peruagemur sparsa Cælo sydera:*
Transeuntis nempe Amoris astra sũt Vestigia.
Nam cum Viator Amor in oras exteras Cum primũ
Excurrens rapidam concuteret facem Deus operatus est ad
Syderum sparsit fauillas defluas idẽtidẽ. extra vt dicunt.
Ch. Duct. *Astra certè nos de Amore certiores fecerint;*
Quippe Cæli sunt ocelli, Cælitumq; lumina.
Omnes. *Ergo sunt duces Amoris, sunt Amoris indices.*

ACTVS SECVNDVS.

Arcturus, Orion, Chorus pleiadum, Chorus Cælestium, & Chori Ductor.

Cho. Duct. *A Rcture custos hyemis, & Boreæ parens*
Dic age amabo

Nam

Nam septem gemino sydere perspicax
(Ceu bisseptem oculis cernere cuncta soles:)
Numquid Amorem toto profugum
Aethere vidisti per septem errare triones?
Namq; amat ille Polum: Polus est quippe
Ille; sequacem
Magnetem cor omne facit: tum nititur illi
Ceu Polo Vertigo mentis,
Nititurq; omnis meorum sensuum rotatio.

Arct. *His primum regnabat Amor sublimibus astris;*
Fixerat hic solium, hic extruxerat armamētū:
Verum ex quo superum cæcus Dux ille Gigantū
Lucifer aduersa concurrit fronte Tonanti,
Atque peculatum tentans magni ætheris, Orco
Secum adegit perduelles Aetheris patritios
Aeternisq; probris Aquilonem
Reddidit infamem; penna stridente recessit
Mox Amor, antiquū placuit mutasse Tribunal
Imo ipsum transferre polum. hinc aliam Cy-
nosuram.

Virginem notat quæ Stella maris dicitur.

Vndiq; conspicuam mortalibus assore nautis
Hæc secum mussans, nymbosi ad Orionis astrū
Credo, ensem rapturus iīt solidè indignatus

1. Cho. *Sedes profectò Amore*
Digna procellosus rapido est cum Sydere Orion:
Tempestuosus nempe sic Amor mihi
Mouet procellas, cordis exquassat ratem.
Votisq; iactatis in altum
Mortales æquat superis, permiscet Olympum.

2. Cho. *Cerne. quid hoc dicas! Vagina occlusit Orion*
Ensem nymbiferum mutata fronte serenus.

3. Cho. *Nimirum Amorem excepit hospitio Vagum.*
Hospite cum tanto genialiter exigit horas

Cho. Cæl. *Redde nobis, redde Orion æstuoso è sydere*

Fugacem Amorem: quem tuis
Clusum latebris detines:
Nouimus id certò; non sine fraude negas
Orion. *Verus vtinam esses, abijt hinc ille ocyus,*
Cho. Cæl. *Dic precamur quò recessit? sic tibi ad nutum ferox*
Seruiat Oceanus, & Venti iura capessant.
Orion *Ipsum doloris asperi locum moues.*
Nā posuit noua Iura meis Amor ille procellis;
Sydere dum nostro excurrit velocior astro,
Hæc mihi dicta dedit.
Mare nouum aperio vni mihi natabile Marism intelligit.
Caue ne tonitru, nube, ventis, imbribus
Perturbes nostri Pelagi dulcissima regna.
Quid tibi feroci, cum Theti mitissima?
Ius mihi solum est
Huius in Oceani tridentem:
Talia fatus Amor
Pleiadum tractus petiit decliuibus alis.
Ch. Duct. *Appositè ille quidem: nam si noua cærula Ponti*
Fudit Amor, tentatq; nouum tranare profundū,
Pleiadum meritò Stellis insistit amicis:
Harum etenim exortu, primis librantur in auris
Carbasa, & instratis lenitur fluctibus Annus,
1. Cho. *Verum ibi nullus Amor,*
Nam septem quot quot Tauri stellātis ad ima
Densantur genua Stellæ, tot cernimus Vrnis
Rorantes inter Zephiros affundere guttas
Ch. Cæl. *Vnum vos petimus septeni ò luminis astrū*
Florum parentes roscidæ, ac veris duces
Dicite Virgiliæ: nam vestro sydere Classem
Iam molitus Amor. pelago dat Vela recenti.
Dicite quas oras tandē, & qua mente pererret.

Nuper enim vestro soluisse è littore Fama est.

Ch.Pl. *Fama tulit, nec falsa: meo nã sydere soluit*
Hoc prius edicens, vt septem fontibus omnem
Dulcè liquaremus tranquillis roribus vndam
Nõ secus, ac quondam Vellus Gedeonis apriciũ
Strauimus alluuie tenera guttantis Olympi
Hæc vbi iussa dedit, pluuia demissus odora
In Syriam direxit Amor cum gressibus arcum

Cho. Duct. *Nunc ego Amoris sentio mentem*
Nouumq; rerum intelligo tandem statum.
Alter ab integro sæclorum ducitur ordo
Ille exoptatus: pacato deflua nymbo
Isa. 45 *Iustitia erumpit Cæli rorantibus astris*
Forte & parens Tonantis
Iam fulsit Orbi Virgo: nempè illam notat
Stella maris, mare & ipsum, cum Gedeonis aquoso
Vellere, cui septem diuini fluminis ampla
Dona ferens migrauit Amor Iordanis ad Vndas
Hæc domus, hoc adytum, hoc regale tribunal Amoris.

Cho. Duct. *Et nos hic stamus? valeant iam sydera, Princeps*
Hanc sibi delegit Aulam, nec volamus aulici?
Dux vbi consedit, turmas consistere par est.

ACTVS TERTIVS.

Chorus Cælestium, & Choriductor.

Cho. *PActo steterunt sydera*
Duct. *Nec spes fefellit lubrica, en adest: Amor.*

1. Cho.

1.Cho. *Io terrigena*
2.Cho. *Et io superi*
Omnes. *Io centenis, io milleris*
Circumsonent Paanibus;
Tenemus hic Amorem
Cho.Duct. *Anna parens, seniorq; parēs fælicibus astris*
Tandem dedere Natam.
Qua nulla præda gratior Amori fuit
2.Ch. *Sed dum venari hanc tentat, captatur ab illa;*
Amor ecce custos nennat ad cunabula:
2.Cho. *Omnia qui vincit iam pupa vincitur Vna.*
Cho.Duct. *Nos vero inuentum cur non capiamus Amorem!*
1.Cho. *Sed quò se occuluit fugax?*
2.Cho. *En adest.* 3.Cho. *Imo recessit,*
4.Cho. *Semper hic præsto fuit*
5.Cho. *Fugit: edico sequamur, iā redit, consistite*
1.Cho. *Extenta velox huc age retia;*
Nam video quò se occultet versatilis ille.
Inter Capillos Virginis tectus latet.
Illa sedes est Amoris, sylua densa crinium,
Sylua virgultis odora, Sylua ramis aurea.
Nam Syluam tenet ille, Fabro qua cadua nulli est
Vnus Amor tantū hic opifex iacularius auro
Flexibili quot fila trahit, tot spicula tendit
Virgo donec colli in vno crine spōsum vulneret Cāt. 4
Has Amor tenet latebras; hic tenendus est Amor.
3.Cho. *Imo alibi consedit Amor: non cernis? amæna*
In fronte Diuæ sculptor effectus sedet.
Illa sedes est Amoris ambulacrum regium
Illa ceu frontata Mystæ supplicantis lamina
Quæ stylo Mosis notatas præferebat literas Exod. 28.

Has gerit notas, amoris exaratas fulmine.
Gloria sit superis, & Pax amplissima terris,
3. Cho. *Falleris, alibi se condit Amor,*
Cernis vt oculis pronus vtrisque
Studet alterno dulce volatu?
Solem Olympi dereliquit, hac vt astra volueret,
His rotis Amor vagatur corda per mortalium.
Quin imo & instar solis hinc oriens Amor
Vertitur, reuerriturq; semper hos in circulos
3 Cho. *Hallucinaris tu quoque.*
Assidet ille genis adhibens oculosq; animosq;
Illustris Pictor fulmine peniculo.
Cāt.4 *Punici mali colores lactis in candoribus*
Emaceratos vultui Diua imprimit:
Cāt.5 *Nempe candidè rubentem*
Sponsi Tonantis pingit imaginem:
Vnico in Vultu puellæ penè numen integrum
Hic Apelles lineis conclusit immortalibus.
4. Chor. *Male deciperis tù quoque. Video*
Altiori confidentem colle Amorem prouidum.
Culmen extollit decorum recta naris gratia.
Hic Amor excubias agitat, custodit & arcem,
Vt quondam ex turri libanotide castra Damasci,
Cāt.7
Hostium & insidias procul inspectasse feruntur
Assyrij vigiles: ita custos culmine ab isto
Iam præsentit Amor turmæ, Plutonidos iras
Bellaq; odoratus Satanæ, iam dirigit arcum.
5. Chor. *Crede mihi te fallit Amor: latet ille beatis*
In labellis, verba & illic machinatus aurea
Mollitudinem elaborat artifex lactarius,
Cāt.4 *Elaborat dulcitates artifex mellarius,*
Purgat hic Amor liquores, hinc sapores eliquat.
6. Ch. *Tu quoque falsus eris,*

Nonne

Nõne videsʔ ceruici hærens Amor sustitit Athlas.
Quippe genus mortale Erebi per deuia præceps
Dū labat, ille habili hoc humero sustētat amicos,
Hac etiam ceruice iugum Deus ipse subibit,
Seminet vt terris, & messem colligat astris.

7. Ch. *Colligis hic ventos vafro delusus Amore*
Totus papyllis incubat lactens Amor:
Sunt sorores hæ papyllæ, sunt gemellæ in indole, Cāt.4
Nectare vtraq; ingrauescunt numine vno mobiles,
Imò pectus Virginale, Regiam illam numinis,
Hæ tuentur, atque adornāt bina propugnacula:
Pyramis duplex eburna fert Amorē in culmina;
Totus Amor nempè his pendet ab vberibus;
Spe non inani lactat hic mundum Deus.

8. Ch. *Tù quoque depicti lactaris imagine veri:*
Diuæ gremium diuinus Amor
Circum totis obsidet alis:
Nactus in Vlnis
Et nido, & soboli materiem inclytam,
Ibi nidificat castus, & Vber
Humano donec generi de Virgine tandem
Exerat fætum salutis fabricator Numinis.
Cernis vt locum feracem nuptialis gloriæ
Ceù periclo obnoxium Cāt.7
Apparatu candicantum liliorum muniat? (gere.
Castra nempè Amoris ambit hoc pudoris ag-

9. Ch. *Lippus es, opinor, perspice.*
Non tam gremium circumdat Amor
Quam Diua solidis cruribus insidet:
Quanta Regia hic salutis, quanta moles gratiæ
Basibus superstat illis, & columnis nititur? Cāt.5
Nullus est Sampson in Orbe, nullus est Orco Gygas,


Qui columnas hasce frangat aut loco dimoueri(t)
Insistit illis numen, illas sustinet,
Nullis Olympi Viribus quassabiles

10, Ch. *Sed tibi luscam*
Obliqua mentem quassat opinio,
Nicredis Dominæ pedibus consistere Amorem,
Per amica Pacis spatia Virgineo gradu
Amor effusis Cursor habenis
Lætum salutis nuntium
Cordibus affert

Ch. duc. *Veritate veriora dicta sunt hæc omnia,*
Nam prehēsus cōprehēdit victus in terris Amor
Ambitu toto puellam, singulisq. partibus.
Tota Virgo est ergo Amoris, totus & Virgo est Amor
Vbique regnat Virginis viuens Amor
Viuit vbique: regnat vbique:
Virgine tota,
Viuit ab illa
Regnat in illa.

Omnes. *Stultum sit discedere ab illa.*
Ergo amici conuolemus, cordiumq; amplexibus.
Circum rotemur Virgini: præda hæc satis:
Occupamus hic Amorem; possidemus hic Deū.

F I N I S.



CO-

COMITATVS VENTORVM

Melodrama Aëreum.

Pro ludis Virginalibus Die Deiparæ inuisenti Elisabetham Sacro

In gratiam Seminarianæ Iuuentutis.

PERSONAE.

Aeolus, siue principium naturale Ventorum
Bòreas
Auster
Eurus
Zephyrus
Chorus Ventorum
Echo duplex

ACTVS PRIMVS.

Aeolus. Chorus ventorum. Boreas, Auster Eurus, & Zephyrus.

Vnus ex Cho. CERNIS, *ut ardet celerare fugã,*
Meus hic ardor Dia Virago?
Forte relictis ardua terris
Gremiumq; oreus succincta Deo,
Vaga per montes pergit in astra
Clarior astris
Quid ventorum pigra Iuuentus,
Quid tandem agimus?

Chor. *O nobis liceat turbine florido.*

Ductricem superum ducere Virginem,
O quam facili sede feremus,
Super & pennas, & colla super.
Humerosque super pondus dulce
Dulcè feremus.

Vn.ex. *Æole quid cessas, ventos immitte secun-*
Chor. *dos*
Chor. *Rumpe ventorum catenas, solue pennas flaminum.*
Alter. *Spirat illa amoris aura, mitte cōspirabimus.*
Flagrat illa amoris æstu, mitte: conflagrabimus.
Migrat illa nos commigrabimus
Volat illa? nos conuolauimus.
Consulgurabimus, si Fulgur est,
Consulminabimus. si fulmen est.

Vn.ex *Colla mundi Virgo soluit: solue pennas fla-*
Chor. *minum*
Rumpe Ventorum Catenas, nulla restat seruitus
Mitte Ventos Æole
Æole Ventorum Rex.

Aeol. *Nam quæ cupido hæc insolens*
Per se inflatas ventorum animas
Turgentes agit in noua
Vota sequendi!
Desiste cohors effera captis.
Attingis audax munera Cælitum
Dum cœli Dominæ te sociam paras.

Chor. *Et nos Cœli regna tenemus,*
Assueta & illa Numinis
Afflatibus, non spreuerit
Flamina secum

Aeol. *Egregios verò Comites adduxerit illa,*
Tēpestuosas nēpe Turbas, & merā discordiam
Age te in fluctus, age te in scopulos

Cruda

Cruda Iuuentus, ibi, te dignos
Quære sodales
Teneram à fatu nempè Parentem,
Paruumque Deum quassare nefas.
Cunctis nocentem pone superbiam

Chor. *Cunctis nocemus? parce, pater probris*
Gens tua, Venti,
Cælum variat, purgat pelagus
Commoda terris

Bor. *Quid si nunc aliquis Pharao barbarus*
Intentet miseris fata puellulis?
Ego in Oceani rursus hiatus
Absorbendum extrudo Tyrannum

Auster *Institoris quid benigni Cymba frumentariæ*
Si cerealem ferat annonam?
Ego de medijs Syrtibus actam
Placido sistam littore pinum.

Eur. *Si triduano carcere clausus*
Balenæ Ionas quæritet exitum;
Ego quassata mole sepulchri
Vitæ reducem in littore sistam,

Zeph. *Quid si lolium, stipulasque leues*
Diuina seges immixta ferat?
Vnus ipse disgregator aream diuentilo. (tuos?

Chor. *Mitte ventos quid moraris? Quid mori cogis*
Iniuriosus Virgini, & tibi improbus.
Mitte Ventos Aeole
Aeole ventorum Rex

Aeol. *Siste tumultum, comprime votum,*
Rauca Iuuentus
Nam si nitidæ pacis alumna
Aeternæ Regina quietis
Vaga per montes quærit Olimpum
Maior Olimpo,

Non ego vos Cælo patiar decurrere aperto,
Turba ferox, ſacrumq; diem temerare profanis
Flatibus, ac tonitru, compeſcite protinus omnes
Nimborum fremitus, tempeſtatumq; fragores.

Bor. *Nullus Fremitus nulla procella*
De me ſonabit Virgini
Sic ſpondet Boreas, Æole, pone metum.

Eur. *Nullus nymbus nullusq; fragor*
De me ſonabit Virgini
Spondet ſic Eurus, Æole quid timeas?

Auſter. *Sternax maris pellacia*
Conſtabit ex me Virgini,
Auſter ſic ſpondet, Æole, nil dubites.

Zeph. *Cœli nitens amœnitas*
Spirabit ex me Virgini.
Sic ſpondet Zephyrus Æole, da veniam

Chor. *Ventis crede bonis, Æole crede tuis?*

Aeol. *Flatus inanes, mobiles*
Stabilem, ſolidam ſeruare fidem?
Non me libenter prabeo credulum
Fallax ingenium ventorum nouimus; audax
Ventorum experti nouimus, ingenium
Ni mihi conſtet iurata Fides
Non praſto Fidem,

Bor. *Iurat Boreas: per ſaxa vouet.*
Sic æternum dominetur hyems.

Zeph *Iurat Zephyrus. per prata vouet.*
Sic mihi Chloris fauſta perennet.

Eur. *Eurus ego per nubes voueo.*
Sic me florens aurora iuuet -

Auſt. *Auſter ego per nymbos voueo.*
Sic me diues iuuet Autumnus,

Aeol. *Verum ſi Dominum fallitis Æolum,*
Quæ periuros pœna manebit?

Chor.

Chor. *Quantam statues, pœna manebit,*
Bor. *Non fallit boreas, Falleris Æole.*
Aeol. *At si tu fallas, dic, furiose, tamen?*
Bor. *Nullo pingam sæcla sereno.*
Chor. *Nullo pingat secla sereno*
Si fallit hic ferocior
Aeol. *Auster si fallat? dic, pluuiose, tamen?*
Aust. *Nullum posim fundere nymbum.*
Chor. *Nullum posit fundere nymbum.*
Si fallit iste nubilus,
Aeol. *Eurus si fallat dic, sinuose, tamen?*
Eur. *Nullo viuam Sole renatus*
Chor *Nullo viuat Sole renatus,*
Si fallit ille Turbidus.
Aeol. *Si fallit Zephirus, dic, pudibunde, tamen?*
Zeph. *Zephirus fallat? sed si fallit.*
Nullo cingam flore capillum.
Chor. *Nullo cingat flore capillum*
Si fallit hic venustulus
Aeol. *Quid faciam? Quam sæpe fides properata fefellit?*
Consilia in melius recident, vbi singula cernã.
Ergo taciti consultemus
Chor. *Mitte ventos; nam morando, gloriam extinguis tuam;*
Nec tuorum vota curas, & puellæ incõmodas
Mitte ventos Æole
Æole ventorum Rex.

ACTVS SECVNDVS.

Aeol. Bor. Eur. & Zeph. Chor. Vent.

Vnus ex Chor. R*Es in præcipiti est. Tu dormis Æole?*
Virgo,

In Montana abijt, media nos rupe ſedemus.
Æole ni poſtes aperis, furiata videbis,
Agmina ventorum patrium diſcerpere montẽ.

Chor. *Æole ni poſtes? &c.*

Aeol. *Siſtite, fauebo, ſiſtite.*
Dulce, ac decorum eſt, ſi ſobolis mea
Obſequium dignata feret Matrona Tonantis,
Illud cauendum; noſtra vt hæc omnis manus
Indemnis, opportuna, Frugifera, ſiet.
Quem veſtrum iubeo Cælo regnare priorem?
Longè tumultus, dicite ſinguli
Quem veſtrum igitur prius emittam?

Bor. *Mitte, Pater, Boream; Boreas cum ſtirpe ſonora*
Harpyas pepulit fluctus cum pelleret Argo

Auſt. *Harpyas Erebi Virgo diſperdidit omnes.*
Non opis ergo tua
Indiga diua eſt:
Caue ne mittas Æole Boream.
Caue ne fidas Æole Scythico

Chor. *Caue ne mittas &c.*

Auſt. *Nam ſi tu Boreæ ſceptrum concedis olympĩ*
Horribili quatefacta metu natura gelaſcit.
Frigore iam Virgo exanimata eſt.

Bor. *Geſtat ò quantam in gremio fauillam,*
Dia Virago
Non timet illa gelu, quæ Mundi Frigora ſoluet.

Auſt. *Frigora ſi ſoluet, non illi frigora grata*
Caue ne mittas Æole Geticum

Chor. *Caue faxis iſthoc, Æole*
Caue ne mittas &c.

Zeph. *Mitte pater Zephirũ, Zephirus pacator olympĩ.*
Feſtiuum teneris concinnat florib. annum.

Eur. *Ipſa ſatis ſemet concinna eſt Virgine Virgo.*
Nil opis ergo tua

Indiga diua est
Caue ne mittas Æole Zephirum,
Æole tremulum caue ne mittas.

Chor. *Caue ne mittas, &c.*

Eur. *Nam si tu Zephyro regnum per sydera donas;*
Ludio Ventorum puer hic eneruis olympi.
Cincinnatus, Cæsariatus
Flosculorum Cyrrulis
Laxè præcintus parasitus Chloridis, orbem
Frangit delicijs, totumque effæminat annum

Zeph. *Delicijs pugnare Deum cum Virgine cernis.*
Ergo decet clypeare papillas
Floribus & vernis galeam fabricare corollis

Eur. *Non amat hæc flores: fructum maturat in vlnis.*
Caue ne mittas Æole Faphium.
Caue faxis istud Æole.

Chor. *Caue ne mittas, &c.*

Fur. *Eurum mitte igitur: nam Ventis promptior Eurus*
Afflatam cum Sole diem super æthera tollit.

Zeph. *Æthere demisit summo in sua viscera Solem*
Pulchrior hæc aurora die, per sydera victrix.
Nil opis ergo tua
Indiga diua est
Eurum contineas, Æole, turbidum
Caue ne fidas cælum Æthiopi

Chor *Eurum contineas, &c.*

Zeph. *Euro si laxas cœli permittis habenas,*
Nubila contorquet, distendit, circinat, vndat
Modo grandine, modò turbine, modo fulgure
Secum pugnax rupto semper
Fædere discors

Eur. *Pacis diua Parens, vna est concordia Mundo*

Zeph. *Ergo pium ducet procul à discordibus auum*

Eurum

Eurum contineas Æole perfidum
Caue tale faxis, Æole.
Chor. *Eurum contineas Æole perfidum*
Aust. *Austrum mitte igitur. Ventis fæcundior Auster*
In sobolem terras animat pluuialibus vndis.
Chor. *Certa hæc est sobolis pluuio grauidata Tonãte*
Nil opis ergo tua.
Indiga diua est.
Caue ne mittas Æole stolidum
Chor. *Austrum contineas Æole desidem*
Bor. *Per nubes si iura dabit teterrimus Auster*
Inflator cerebri, fluida contagia pestis
Afflabit misero, spirator plumbeus, Orbi.
Aust. *Plumbeus est Auster? gerit intra viscera flãmas*
Virgo, quibus soluat lenti vitium omne metalli.
Bor. *Dignatur aurum flamma Virginea vnicum*
Non attingit vile metallum.
Austrum contineas Æole morbidum.
Aphro noli præstare fidem,
Nil tale faxis Æole,
Aeol. *Si mihi vestrum quisque ex æquo*
Suspectus erit,
Nullum ego dimittã, vel mittã protinus omnes
Chor. *Omnes, omnes, omnes, omnes*
Æole mitte

ACTVS TERTIVS.

Aeol. Bor. Aust. Eur. Zeph. Chorus Ventorum
Echo duplex.

Aeol. *SI placet hoc agite;*
Per certa ventos munera diuidam
Sed legem dabo singulis.

Abi.

Abi, tu Boreas, licet,
Hac lege tamen iuratus abi.
Suspenso per inane gradu lenissimus astra,
Nubibus absterſis illuſtri pinge ſereno.
Cætera nil moueas: turbinem, & impetum
Interdico

Bor. *O me beatum centies*

Chor. *O te beatum centies.*

Bor. *Æole ne timeas.*
Cætera nil moueo; frontem vernantis Olympi
Stellarumque genas criſpata luce recludam.

Echo. *Cludam, ludam*

Bor. *Nubila cludam, ludamque ſimul*
Ludetque puer clusus in aluo.
Secumque feſtus orbis emicabit

Echo. *Micabit abit.*

Bor. *Micabit infans gaudio, ſed lætior*
Virgo abit in Montes: nos hic etiam ſedeamus?

Echo. *Eamus, Eamus*

Chor. *Eamus hinc eamus,*

Aeol. *Eure vola, per me poteris, ſi iura capeſsis,*
Ne claro nimium potens ſereno.
Sol artus teneræ Virginis incoquat;
Subinde Olympum texe vaporibus,
Nubium dependularum candicanti umbraculo
Inſtar auroræ tueare Diuam.
Cætera nil moueas: turbinem, & impetum
Interdico

Eur. *O me beatum centies*

Chor. *O te beatum centies*

Eur. *Æole ne timeas,*
Cætera nil moueo, tantum me præſide rerum
Squammatus æther nubilis argenteis
Vultum conuelabit opacum,

Chla-

Clamydemque feret simul albentem,
Simul obscuram.
Echo. *Curam, Vram*
Eur. *Curabo curam hanc, nè Phœbus vrat.*
Vret Virgo caput stygis
In Ioannis pectore.
Hinc rebus iam Pluto suis malè conclamabit
Echo *Amabit Abit,*
Eur. *Cœli puerum pupus amabit*
Sed modo mater
Virgo abit in montes: nos hic etiam sedeamus?
Echo, *Eamus Eamus*
Cho. *Eamus hinc eamus*
Aeol. *Nunc tibi pando fores, Auster, sed iussa facesse,*
Vbi Virgo ocellos noctis imperio dabit,
Tu nimbulo solutus
Sydera, Cœli oculos, pluuia suffunde nitenti,
Sic scrupeam humor molliet orbitam,
Nec Feruor atri pulueris ingruet
In faciem Dominæ volantis,
Cætera nil moueas: turbinem, & impetum
Interdico
Aust. *O me beatum centies*
Cho. *O te beatum centies*
Aust. *Æole ne timeas,*
Cætera nil moueo: tantum mitissima Cæli
Tractabo molli brachio
Fletumque per dulcissimum
Nocturna coget astra collabascere
Auræ nymbus, dulce refusus
Echo. *Fusus, Vsus*
Aust. *Fusus imber rore paruo, magnus vsus Virgini,*
Limbum lacernæ, pectorisq; tænias,
Et verticis capillum

Nulla

Nulla guttula irrigabit.

Echo *Rigabit, abit,*

Aust. *Cor Ioannis irrigabit*

Nimbus charitum, nimbus Amoris

Hinc praepropera

Virgo abit in montes: nos hic etiam sedeamu ?

Echo. *Eamus, Eamus*

Aeol. *Nunc verò prognate puer clementibus astris*

Huc ades, ò Zephire

Te penes imperium, Cœlo dominare, triumphe.

Terrae cum pelago sub tua Iura fluant:

Nã similis Dominae es, quãuis discrimine lõgo.

Sudus es ? illa serenior.

Fertilis illa feracior

Dulcis es ? illa suauior

Floridus ? illa beatior

Cho. *O quam similis Dominae Zephirus ?*

Similis Domino, similis Dominae

Hoc age tandem scena tua hic est

Aeol. *Nuptiales per choreas Virginalis assecla*

Mille rores, mille flores mille odores ventila,

Blande Matris ventilator, frigerator Numinis

Zeph. *O me beatum mille centum millies.*

Cho. *O te beatum mille centum millies.*

Zeph. *Huc Aurillae cum Zephirillis.*

Murmurilla cum tenellis fulgurillis ludite

Ludite circum ludite contra

Chor. *Huc aurillae, &c.*

Zeph. *Hoc tadii, hoc laboris,*

Graue munimen, leue lenimen.

Echo *Hymen*

Zeph. *Hymen ades, ò Hymenee*

Non fictus ille prodromus Cupidinis,

Sed caelestis ductor amoris

Fla-

Flabilis ardor: huc ades oro
Nubilis est, & nupta Deo pulcherrima Diuum
O quas in vtero matris Elisabeth faces
Amoris excitabit?

Echo. *Citabit, abit*

Zeph. *Diua reum Plutona citabit,*
Mox damnabit & ipsa Tyrannum
Imo Ioannis in sinu
Mitissimo Cæli foro

Echo. *Oro*

Zeph. *Oro vos si diua fugit,*
Cur nos hic miseri sedeamus?

Echo *Eamus*

Chor. *Omnes, eamus omnes,*
Eamus, hinc eamus.

FINIS.



MARIS OBSEQVIVM

Melodrama Maritimum

Pro Ludis Virginalibus
DIE NATALI DEIPARÆ
in gratiam Seminarianæ Iuuentutis

PERSONAE.

Neptunus
Tyberis
Proteus
Chorus Nereidum
Iordanis
Chorus Driadum Iordanicarum
Chorus Nazarenus.

ACTVS PRIMVS.

Neptunus, Tyberis. Proteus,
Chorus Nereidum.

Nep. E*RGO Maris de nomine*
Appellata recens vitalibus appulit oris
Regia Virgo? me Rege maris
Me Neptuno
Nec *dante veniam, prorsus, & rerum inscio?*
Ch.Ner. *Heu vitalibus appulit oris*
Appellata maris nostro de nomine Virgo.
Nept. *Nunquid maris cum nomine*
Numen aquarum, & nostra tenebit
Sceptra, marina Dea hac?

Tybr.

Tybr. *Credo, tenebit. Sic Iordanis*
Gurgite propero tulit ad nostras
Nuncius aures
1. Ner. *Vtinam vertat fortuna vices:*
Nimis Ah ferus Neptunus est
Et fera Thetis
2. Ner. *Regat ò vtinam mitior aliquis*
Neptunus aquas, mitior aliqua
Neptunine
Cho. Ner. *Alter Nereus, melior Nereus*
Altera melior Nereine
Tyb. *Imò posthac munere Natæ*
Virginis vnus Iordanis erit
Subditorum laureatus Imperator fluminum
Nept. *Iordanis ergo putidus.*
Fætentis, atque emortui
Vecors mancipium maris
Tædas affectat Thetidos, pelagique tridentem?
Ite squammosæ phalanges
Iordanem abripite
Iordanem obterite
Iordanem opprimite
Perduellem Nerei
Omnes. *Obteramus, opprimamus, perduellem Nerei*
Nept. *Vbi tu Proteu latitas? agedum*
Qui sensa (ali pectore contines
Prome fata, fūde sortes: nostra Regna hic fluctuāt:
Nō procella sed pauore nostra Regna hic fluctuāt.
Prot. *Quam timeo Neptune vices? Fortuna reflauit.*
Non ego sum Proteus, Proteo sic fata repugnant.
Heu nulla egeritur vox faucibus. obmutesco
Heu nulla ingeritur lux mentibus. obtenebresco
Alios adhibe coniectores
Alios adhibe consultores.
Neptune Rex. Nept.

Nept. *O me miserum; Deus hic aliquis*
Maior, aquarum fata remiscet
Chor. Ner. *Nunc verò medijs vrimur Vndis.*
O nos miseras vulgus aquatile,
Restabunt salebræ. & saxa natantibus.
Fundite lacrymas,vt de nostris
Fluctibus alius fluat Oceanus,
Ne sicca humentes acies nudemur arena.
Tyb. *Quæ te premit vecordia*
Salsi Tonantis turma frigentissima!
Indue mentem Principe dignam,
NeptuneRex,Regna dantur fortibus.
Nept. *Fare .quid censes Tyberine Ductor?*
Tyb. *Ille ego Tybris potentum laureaѷ, & fascium*
Irrigator, & trophæis gentium regurgitans
Omni profuso sanguine barbaro
Hoc tibi consilium propino.
Arma sume: coge turmas: fata fortes adiuuant.
Prot. Tyb. *Cedunt cuncta potentibus.*
Arma sume: coge turmas. astra conãtes iuuant
1. Ner. *Non arma,Pater non bella Pater.*
Feruidus ira Mauors,medio
Ardeat igne,
Aliud numen dulcius illo
Regnat in vndis.
2. Ner. *Non bella precor,non arma precor*
Chor. *Pacem te Nereu, pacem te poscimus omnes*
Nept. *Si pacem teneo,labitur Imperium,*
Me Ioue Ponti,
Terrigenæ insultant Pelago?nec Turma Gigantũ
Admonet alpinas fabricas sed fœmina terret.
Dedecus haud patiar, Neptunum sentiat Orbis
Tyb.Nept. *Tolle signa,tela sume digna fratris fulmine*
Nept. *Huc adesto,Glauce,Triton,Phorce cũ Palæmone,*

Euoca-

Euocate fœderatos ad Sacramentum greges.
Velites Delphini adeste, fronticornes huc equi
Cete, ac Balenæ, armatura grauissima Ponti
Explicate iam cohortes, vasa cursim tollite,
In Palestinas properemus oras.

Omnes *In Palestinas properemus oras*

Nept. *Inde Iordanē prehensum per dolorū machinas*
Torqueamus, donec altum veritatis exprimat.
Ad arma, ad arma classicum Triton Cane

Omnes. *Ad arma, ad arma classicum Triton Cane*

Hic more tubarum iter indicentium dabunt sonitum Organa musica.

ACTVS SECVNDVS.

Iordanis, Chorus Driadum Iordanicarum, Neptunus cum Proteo, & legione squammigera.

Ch.Dr. O *Iordanem super Oceani*
Fata beatum.
Cuius ad vndas, cuius ad vmbras
Gemma fulgida prognata est,
Virescit illa: smaragdus est.
Pudoris gemmula smaragdus est.
Flammescit illa: pyropus est.
Amoris gemmula pyropus est.
Viret hic pudor, flagrat hic Amor.
O nos Driadas supra Thetyos
Fata beatas

1.Driad. *Verum quid video Pater?*
O monstra innumera, ò monstra cohorrifica.

2.Driad. *Iordanis Pater, ò Pater*

Cho.Dria. *Afferopē, grauior sæuit post gaudia luctus.*

Iord. *Qui*

Iord. *Qui vos corripuit metus*
Turma decens nostræ Custos pratoria ripæ?
1.Driad. *Rupes cerno natantes*
2.Driad. *Cautes cerno volantes*
Chor.Driad. *Fugiamus hinc, sorores,*
Matris in magnæ gremium profundum.
Iord. *Verum quid hoc, tremore concutitur specus*
Vnde mihi? Quis Enceladus immutat latus
Nostrum sub Orbem? Agnosco terriquassonem,
Neptuni rapidum cerno satellitem
Me miserum. irati signa hac certissima Nerei.
Legio. *Idumem Idumem Idumem*
Nepr. *Deuenimus deuenimus*
Siste classẽ Phorcemutam siste Triton Classicum.
Verum vbi Iordanis? nonne hac palmeta feracis
Fluminis? aufugit. properate; in viscera Terræ
Compenetrate: colunt effossa cubilia talpæ.
Indagate feram ocyus,
Excelsique reum criminis, in foro
Sistite Cærulei Tonantis,
Prot. *Bellua tenetur. cedit astus viribus.*
Iord. *Heu, heu quis nouus hic furor*
Iordanem ferit innocuum; quo crimine damnor?
Nepr. *Quod noua 'moliris*
Iord. *Perdat me Iuppiter igne*
Nepr. *Nil opus est Ioue: Neptunus tua vota malignis*
Externabo fretis, rapidis quassabo procellis
Iord. *Cur in me scopulos? perdis Neptune procellas*
Sponte sequor nutus, Princeps effare quid optes.
Nepr. *Quæ noua regali prognata est sangnine Diua,*
Cur maris illa mei nomen prædatur, & omen?
Dedignata iugum sceptro insidiatur Idume:
Gentis ego Sabattariæ
Ceruicem noui rigidam, frontemque superbam.

Non

Iord *Non ego crediderim regnum affectare marinũ:*
Cœlo inhiat; puris flammeſcit concolor aſtris.
Stella maris potius. Diua ô ſi lumina frontis
Inſpicias, Neptune, ſemel, ſenſa iſta remittas.

Nept. *Quis tanta nobis prohibet ſpectacula formæ?*

Iord. *Nil prohibet: nec lõga via eſt: huc protinus omnes*
Offuſæ mecum Driades deducite Regem
Oceani, quà Pupa premitiam lictora Cæli.

Nept. *Sequuntur alibi flumina Oceanum Patrem:*
Hic ſequitur fluuium Oceanus: pergamus amici.
Mecum aderis, Tyberine: decent regalia Regem.

Chor. *O Iordanem ſuper Alcinoi*
Prata beatum
Cuius ad vndas, cuius ad vmbras
Radix florida prognata eſt.
Rubeſcit illa; Hyacintus eſt
Amoris floſculus Hyacintus eſt
Albeſcit illa; Narciſſus eſt
Pudoris floſculus narciſſus eſt.
Rubet hic amor, nitet hic pudor
O nos Driadas ſuper Alcinoi
Prata beatas

ACTVS TERTIVS.

Iordanus Neptunus. Proteus. Tyberis
Chorus Nazarenus.

Iord. HÆcilla, flos, & patria fiorũ eſt, Nazareth,
Radix vbi Anna effoeta foetat fauſtiter,
Truditque gemmam ex ætheris inſuu.

Chor. Naz. *Noua lux diem reuexit,*
Cui ſol adultus ipſe

Munus

Munus Auroræ, minor adminiſtret
Alij mare te vocitent: ego te
Pupa totum poſsidere fronte Cœlum dixero:
Radiat duplex ocellus
Lucifer vnus, Heſperus alter
Alter eſt auriga Solis, ductor alter Syderum
Vna tamen eſt voluptas
Noctu, diuque me beans,
Iord. *Audis? anhelat omnis in cœlum hic amor.*
1. Chor. *Quæ turba gliſcit hoſpitum?*
2. Chor. *Inhoſpita eſt, marina eſt,*
Pelagi numen, futile nomen,
Semque tercentum ruunt
Sabulonides Dinaſtæ
Proteus ventriloquax Ariolus nihili
Biſque puer Glaucus, viuax cornicula ponti
1. Chor. *Adeſte monſtra, accede Leuiatan ferox,*
Ludus, iocuſque Diuæ
Virgo eſt arundo, ab illa
Pendebit hamus olim
Quo cruentus interibis vncinatim ſaucius,
Prot. *Qui ſubitus horror mente quatefacta ingruit!*
Nept. *Genus eſt Gigantum hæc Pupa: iaculatu effero*
Diuinitatem cordis heu frangit mei
Chor. *Viden vt Proteus, viden vt Nereus*
Extra ripas, fluctuſque ſuos
Offendunt ſcopulum? naufragium dabunt.
Nept. *Heu heu quantos parua hæc miſcet*
Corde dolores: funditus interij
Chor. *Viden vt toto linquitur animo?*
Oculi miſero caligarunt
Date aquam Nereo, date aquam Oceano.
Nept. *Abeamus hinc Plutonis ad amicos lares*
Vires inde recolligam

Expunctas furias centuriabimus.
Concorpora phalanges
Tybri tuas: Nereum sequere auxiliaribus armis.

Tyb. *Falleris: experta semel hic dulcedine Cæli,*
Vt manes repetam? si te dementia cœpit,
Non ego desipiam.
Aethera permutem totum cum Virgine: nedum
Illam emerem cunctis fluctibus Oceani.

Prot. Nepr. *Heu nos miseros: æthere patrio*
Semel expulsi, nunc possessis
Pellimur Vndis.
Fœda coacti præcipitantia
Ditis ad vmbras.
Concidimus miseri

Chor. *Feliciter, feliciter*
Abiere pestes: Virgo clarauit Diem
Io triumphe:
Fulguriuit Pupula
Centum æquoreos vna Gigantes

Iord. *Pulso Nereo Thetide mota*
Hæc vna ventis hæc vna nymbis
Leges instituet pacis Matrona, nouumq;
Fluctibus ingenium dabit, & noua Iura procellis

Tyb. *Esse quid hoc dicam? rarescunt corde tenebræ:*
Ex oculis animi squammas iam discutit omnes
O quam commemorem Virgo. te pectore toto
Accipio Diuam, atque olim cum millibus æris
Templa quater centum septenis collibus addam
Sic voueo superis: quin, & sacrauero summis
Reginam Exquilijs, *maiori & nomine cultam*

Omnes *Feliciter feliciter*
Io triumphe
Fulguriuit Pupula
Centum æquoreos vna Gigantes.

FINIS.

FOETVS ALCYONIS
MELODRAMA TARTAREVM

Pro Ludis Virginalibus Die concepta Virgini Sacro

In Gratiam Seminarianæ Iuuentutis.

PERSONAE.

Pluto
Chorus Gorgonum, Harpyarum, aliorumq; Tenebrionum Tartari.
Amor diuinus
Chorus Epheborum amantiū, siue Seraphicus.
Chorus Epheborū Sapientiū, siue Cherubicus.

ACTVS PRIMVS.

Pluto. Chorus Gorgonum, Harpyarum, aliorumq; Tenebrionum Tartari.

Plut. V*Bi præda de venatibus*
Mūdi nūc presto est? vēter Plutonis amarus
Maleferiatā iam diu bilem coquit.
Vnus ex Cho. *Imo helluatur: quicquid errat mōtibus*
Pinguis ferinæ, quicquid in siluis latet,
Aut salit in fluctus; appelliit dentibus Orci,
Lepores, onagros, capreas, ceruos, sues
Amor. Voluptas, Ira præsternit tibi:
Sanguine dat potum Mauors, Cytheræa saginat

 Pluto *In-*

Pluto *Insulsa, iners, ac putida*
Plutonis stomacho terrestris, aquatilis esca.
Quin datis è Cœlo prædam? mihi credite, sola
Cœli præda volatilis
Orcum saginat molliter
Chor. *Mollior at nostro præda hæc elabitur vngue:*
Terris relictis esca, quæ Cœlo meat
Seruatur vni, nectar empyreum, Deo.
Pluto *Hoc agite, amabo. Nuperus ad aures tulit*
Nuncius hæc nostras. Instat Iordanis ad vndas
Alcyonis fœtus, fœtum sibi destinat Aether,
Quo nulla esca sapit totis mihi lautior astris.
Cœlo paratur illa:: sat notum est mihi
Ingenium Alcyonis. Iam Ditis nubila vultu
Discutit, & Cœlum pellecto Sole recludit.
Fœtura in ista scilicet
Iam facit abortum, gloriæ, Rector Stygis;
Non tumultus, non procellas iam licebit tollere
Nullus Erebi Tenebrio
Implicabit iam tenebris cæca mundi pectora
Chor. *Quis vetabit?*
Pluto. *Fœtus vnus, qui serenat sydera,*
Chor. *Non feremus. Conde legẽ. Iussa consacesimus.*
Pluto *Vos ego contestor blandum genus Harpyarum,*
Et vos venantum clarissima turma Latronum
O liceat vestra hoc vnum mihi fraude rapinæ,
Tantã vt lautitiam labris primoribus haustam
Prægustem primus: ilibatam sumat Olympus.
Chor. *Ex quo cælestes Adæ populatus honores*
Duxisti meritos oritura è stirpe triumphos,
Omnis origo tua est: hoc tibi lege licet.
Pluto. *Sed non tenentur legibus Reges suis.*
Anna etenim, & Ioachim
Hæc anus, ille senex, quæ fiunt lege parentes?

Exi-

Exitium hic aliquod fallax mihi fœtat olympus
Ad pradã ad pradã Alcyonis;properate frequẽtes
Gorgones,Harpyæ,Titanum factio discors,
Cingite inaccessos numerosa indagine saltus.
Perge Tartari caterua, Dite toto conuoca
Cerbero natas trifauce copias trigutturés,
Dente curuas,luce toruas, cornuatas vertice,
Mitte vulgus mugientum Dite de boario,
Sed potissimum ferarum rugientes Principes.
Catulum leonis, suspicor. Pupa hæc dabit
Da leones da leænas, mille in vnum belluas
Pardaliscas da leænas, da leones Barricos
Sub maligna nocte cretos, pessimo interlunio
More miro belluosus Pluto sit venaticus
Sint Leones pro molossis, pro catellis Alcidæ;
Vngue discerpant patronos incubantes fœtui,
Obuios quosque trucident, calle nostris libero.
Ad pradã,ad pradã Alcyonis properate frequẽtes
Et laqueos,& tela,feras,& retia,flammas.

Chor. *Adest leæna Tartari*
Gliscit in Alcyonem
Alternis *Adest leæna Tartari*
Rugit in Alcyonem
Inferum brutos maniplos nocte tota extraximus
Tauroleænas, Pardoleones
Et leonides catullos
Et leonidum leullos cum leis leunculis
Africa mirante natos,Cynthia intermenstrua.
„ *Sunt Pytonides draconistæ*
„ *Sunt Draconides cerberistæ*
Sunt trilingues,sunt trifauces,sunt feræ tripectores

1. Chor. *Centum hic parantur lora tenacia*
De Typhæi Vinculis
2. Chor. *Mille hic parantur tela vibrantia*

Lota Nesi sanguine.

3.Chor. *Parcarum habes atrocium*

Adamantino de stamine

Retia mille .

4.Cho.*Mille flammæ ventilantur de Megeræ incēdiis*

1.Chor. *Sunt laquei mille hic præda petita mea est,*

2. Chor. *Mille sonant tela hic: præda petita mea est*

3. Chor. *Retia mille fero : præda petita mea est*

Mille faces iacio: præda petita mea est .

Omnes *Mille feras laxo : præda petita mea est*

Mea est, mea est, mea est.

ACTVS SECVNDVS.

Amor diuinus. Chorus Epheborum amantium, siue Seraphicus, Chorus Epheborum Sapientium, siue Cherubicus.

Amor. *PRocul ite iam procellæ ,*

Cedite terris

Procul æquoris furores ,

Cedite ponto

Procul ætheris fragores .

Cedite Olympo

Chor. Alternis. *Terris procellæ cedite*

Ponto furores cedite

Cœlo fragores cedite

Cedite terris ,

Cedite Ponto

Cedite Olympo

Amor. *Furor hic vnus feruor Amoris,*

Fragor hic vnus plausus Honoris.

Ite venti: nidulatur Diua pacis Alcyon.

Fœtat

Fœtat astris, foetat vndis, foetat Orbi gaudia

Chor. *Terrarum votis placidus lentescit Olympus*

Seraph. *Astra remollescunt, suspirant nectare Amores*

Chor. *Annæ salictum sterile fæcundat Deus :*

Cher. *Iudæ sceptrum oritur veteri Iordanis in Alga,*

Non eget ille mari : fœtus hic est Maria

Chor. Seraph. *Cateruæ amantũ flaminũ dulcissimò*

Incubuere Mari, teneroque dedere tumultu

Nymbos ambrosios, tempestatisque beatas.

Chor. *Fallor, an armisonam*

Cher. *Cerno procul stygio glomerari puluere nubem*

Agnosco fraudes. nidacem Pluto rapinam

Venatu, aucupio, piscatu perfidus vrget.

Cernis vt greges triformes rugientum promouet?

Cho. Ser. *Trinis vsque adeo faucibus hinniunt*

Trini Tonantis vnico triclinio

Amor. *Sed properent. faxo, cæcis lurconibus isthæc*

Fiet cicutis esca nocentior

Chor. *Expedite hic tela Amores, tela sint triflammea*

Cher. *Hostes in trifidos arma trisulca decent (aurea,*

Chor. Ser. *Nõ Auerno hæc tela quadrãt, tela sunt hæc*

Velites Amoris armis militant innoxijs (aurea

Amor *Non amoris ista, non est, est furoris victima.*

Chor. Ser. *Imò si toto fraudes Acheronte patescunt,*

Vos mentis altæ fertiles

Ingenij proceres, consilium aureum

Promite Cherubico è Senatu

1. Chor. *Si Pluto quondam fraude victrici tumens*

Aurora in ipsa Gratiæ

Euam fefellit grandiorem fæminam,

Fallatur vna in Pupula

Hebetatus, excæcatus in meridie.

Diuum Alcyonis nidamentum

Vallabimus tenebris.

Latebra est Tonantis Pupula hæc: diuina res:
Ergo cingatur tenebris, plurima, & caligine
Nubilosos heluones expleamus nubibus
2. Cho. *Nocte mergam noctulinos, somniantes somnijs*
Cher. *Tenebris tenebriones*
Agglomero, nebulis nebulones.
3. Chor. *Conduplicans nigrorem*
Cher. *Noctis, atrabo nigellos noctis atræ dædalos*
4. Chor. *Has ego Tartareas*
Amphisbenas noctuabundas
5. Chor. C. *Has ego talpas reptabundas*
Cæcultantes occæcabo
1. Chori. C. *Et Cæcilias excæcabo*
Chor. *Nubilosos belluones oppleamus nubibus*
Cher. *Ne videant, quà se Alcyonis fœtura recondat.*
1. Chor. *Nos intereà dum tænarei*
Ser. *Lumbrici in vmbris lubricant teterrimè,*
Circa nidum mille rotati
Fœtum Alcyonis numine fœtum
Mundi tutelam tutabimur agmine denso
Ch. Ser. *Penna leuis, non cura leuis, custodia Diuæ*
2. Ch. Ser. *Vallabo Diuam hanc vlnarum præside cinctu,*
2. Ch. Ser. *Præbebit famulata meum tentoria pectus,*
3. Ch. Ser. *Mutua pennarũ clypeum textura parabit*
1. Ch. Ser. *Galeam parabo pinnulis immobilem,*
2. Ch. Ser. *Pennas mouebo, vt arceam*
Fucos nectareæ procul à dulcedine Cellæ
3. Ch. Ser *Aggerabo hanc Arcem Amoris conglobatis osculis*
4. Ch. Ser *Corde telã paraui cominusq; & eminus*
1. Ch. Ser. *Corde toto velitabor missili suspirio,*
Corde quo balista nulla nulla prorsus machina
Maior est in toto Amoris apparatu bellico.

Ch.Ser. *Hanc Amores Pupam, amantis grande gestamen Dei*
Contegemus, protegemus ore, pennis, bracchijs
Labro amanti, corde hianti,
Osculis, suspirijs.

ACTVS TERTIVS.

Amor diuinus. Chorus Seraphicus. Chorus Cherubicus. Tenebriones Tartari cum Gorgonibus, Harpijs. Cerberis, & Cerberillis.

Tenebr. *VNde tenebrosa hæc solis in vultu lues?*
Qua clade interijt dies?
Timeo subitas, timeo insolitas
Noctis factitiæ pseudotenebras.
Infuscatur dolus hic aliquis.
Vespere non prodomo mox intempesta praiuit?
Succedet infortunium.
Cho. *Mala si tantum benè præsentis,*
Es bonus hariolus, hariolare tibi.
2.Teneb. *Sol est solifuga hic, luna est illunis, Olympus*
Atrauit frontem, iam nobis concolor æther,
3.Tenebr. *Nox Auerni, nox Olympi sunt gemellæ compares*
Chor. *Nunc profectò fiet Orcus consobrinus Ætheri*
Vicimus ò socij.
Tenebr. *Re non gesta gestire licet*
Orbus orbis plaudit Orco,
Nos victores fuscus Olympus
Dum gemit, ingeminat,
Ch.Cher. *Sed vos manet triumphus in gemonijs,*
Cho. *Belle est, opipare est, noctis in regno sumus.*

Teneb. *Regnamus ergo. Sydera dederunt manus,*
Regnant accipitres: noſtra columba eſt
Bene ſit miluis: Alcedo noſtra eſt
Bene vulturibus mortua præda eſt,
Chor. *Acceditehuc, accedite.*
Cher. *Hamata ſunt, viſcata ſunt hic omnia:*
Bene ſit turdis; bene ſit merulis
Accedite huc, accedite,
2. Teneb. *At vos Erebi congerrones*
Quid ceſſatis? nidum Alcyonis,
Nidum Alcyonis curſu propero
Inuolate, excerpite
2. Teneb. *Neque nidus, hic, neque nidor eſt nidi vſpiam*
Nox vna nidulatur vmbras noctuis.
Amor *Dum ventrioſa Tartari paſsim cohors*
Reptat per vmbras lubricanti margine.
Hinc ego ſubſtituam plumas, pennaſq; puellæ
De noſtris alis, vt quo ſit temporis vno
Editæ puncto, poſsit eodem
Tollere ſe in cœlum, ſtygioſque eludere caſſes
Vos intereà, vos Seraphidum
Plumoſa cohors aptate habiles,
Stamine ſydereo textum plumatile Diuæ.
1. Teneb. *Indagate, inueſtigate*
Fœtum Alcyonis, Vbi tù Sorex?
2. Teneb. *Non reperio farinam*
Tot mihi friauit furfures
Nebula hæc oculis magis atra meis.
1. Teneb. *Quid agis Lurco?*
3. Teneb. *Non reperio dapinam:*
Tanta hic caminus fumigat fuligine
Ch. Cher. *Abſq; fumo cœnitabis, ſtulte fumi vẽditor*
1. Teneb. *Quid deglutis? Quiduè propinas.*

Sor-

Sorbille Rex bibonum?

4.Teneb. *Sorbeo nebulas, pappo tenebras,*
Tantus nocte meis noctiferis oculis
Nocturnus inest

2.Teneb.*Helluo perge huc, vbi tu tandem?*

5.Teneb.*Vbi ego sim? qui nullus iam sum.*
Sed nec moueri remige, aut velo queam,
Sabulone tanto fumidæ Caliginis
Stomachum saburrat nebula furfuracea hac.

1.Teneb.*Nunc vbi centipeda es?*
Centipes;nimis gradatim: fuste grandibo gradum.

6.Teneb.*Non centipes, non quadrupes*
Sed nec bipes, nec vnipes:
Planè hic remansi nullipes

Ch.Ser.*Opus alatum: stamina currunt*

Altern.*Trama recurrit: opus auratum*
Ope gemmata
Tegmen Auroræ paratur, penna Soli texitur,

Amor.*Hinc ego plena dapsilis aura*
Per summa rerum viuidas pennas ago

1.Teneb.*Perij vt video, cæcorum dux*

Cho. *Male sit nidis male nidificis*

Teneb.*Et nidulantum nidulationibus.*

1.Teneb *Opus est Argo hic, opus est Lynceo*
Ades huc Lynceus introspector.

7.Teneb.*Talpa sum, non Lynceus*

1.Teneb.*Vbi nunc Argus visor acutus?*

8.Teneb. *Cum Coclite, & Strabone, Lusca, & Cæcia*
Cæcutio, cæculto, lippiturio.

Ch.Ser. *Rep. Opus alatum &c. vt supra*

1.Teneb.*Quid restat misero mihi?*
Res enimverò rediuit

Ad leanas,& Leones agminis triarios.
Huc Anubis, huc Medusa, prouocemus belluas
Ch.Ten.*Tigridem mitto venaticam , promptiorem fulmine*
Altern.*Pardalim mitto lunaticã,tetriorem tartaro.*
Mitto iam greges tribuccas, disgregatim liberos
Ch.Ser.*Fabricatæ iam coruscant mille centum millibus*
Versicolores floribus alæ:
Diua, pennis nixa Amoris,iam volabit Alcyon
Ch.Ten. *Alcida, leana curre*
Altern. *Strenua curre, vola*
Pardalis hiena curre
Strenua curre, vola
Curre vola Tigrina ferox,Vrsilla,Celerna
Huc melãchrene Cerasta cũ lycone.& Cẽchria,
Cursitate, conuolate
Hircobarbæ, nigricodæ patrueles cerberi
„ *Eia tù Pardaliastes*
„ *Eia tù Rinocerastes*
Estis,proh, nimium longa negotia
Pardalisca,cum lycisca conquiniscũt, dormiunt.
1.Teneb. *Nil agimus miseri*
Non mouentur vngue lato plumbeæ testudines,
Pro molossis sunt colossi mole porphiretica
2. Teneb. *Non mouebis, ni vocabis architectũ, & machinam.*
Chor.Ser. *Surgit io,surrexit io, Pupa exilit astris*
& Cher. *Pergit amanti pennata Deo*
Pergit amante afflata Tonante
Chor. *Cede nox. diem renatum conferenet Alcyon.*
Cher. *Nunc videte, nunc volate tartarinæ cocleæ*
Chor. Ten. *O Dij mali: rem perditam.*
Altern. *Nunc incipisso cernere, ò factum male.*

Video,

Video, video. nimis heu video
Volauit, auolauit.
Prius videre oportuit;
Nunc me esse cæcum peruelim.

1. Teneb. *Heu nos miseros. volat illa, volat*
Ecce renascuntur, quas nos incidimus alas
Humano generi pennis maioribus aucto

2. Teneb. *Acta res.*

3. Teneb. *Non acta res: prorsus infecta vndique*

1. Teneb. *Visum supra omnem Syderum*
Volat Aquila pernicior.

2. Teneb. *Reptabundi nos repedamus*
Flocci, nauci venatores,
Minimi, nihili piscatores,
Aucupes teruncij,
Verberones verberandi re peracta ignauiter

3. Teneb. *At quæ nos tanto tulimus sudata paratu*
Vincula cum laqueis, hami, venabula, Casses,
Cuinam futura hæc vsui?

2. Teneb. *Plutoni referes, vt tendat retia gryllis.*

FINIS.



STRE-

STRENA
MELODRAMA HORTENSE

Pro ludis Virginalibus Die Deiparæ inuisenti Elisabetham Sacro

In gratiam Seminarianæ Iuuentutis.

PERSONAE.

Daphnis Amyntas, & Menalca
Chorus ex Viridario Chorus ex Pomario.

ACTVS PRIMVS.

Daphnis & Viridarij, Amyntas & Pomarij

Omnes. *VIDIMVS ò qualem! manet alto*
pectore fixum
Numen adhuc, tantum Virgo
sapit illa Tonantis.
Hinc magnos animi sensus, formamque loquẽdi
Duximus illustrem, Pindi melioris ad vndas.
1. Virid. *Vidi ego formosam, visuque exterritus illo,*
O me inuenustum, & sordidum,
Extemplo dixi; pudor est fœdasse tot annos.
2. Pom. *Vidi ego sopitam; somnoque excussus ab imo*
Dulces in furias dedi
Lymphatum genium: furor est, sed sanus: amaui.
Daph. *Vidi ego ridentem. Soles rediere sereni.*
Exilunt teneri labro spirante susurri
Sacri fragrantes oris ethesiæ
Aeterni Veris comites, quibus omnis in astra
Spes

Spes mihi velificat: tutũ eſt iam fidere ventis.

Amyn. *Vidi ego lugentem: Stellæ cum Sole cadebant*
Perſpicuo in nymbo: ſic pacis naſcitur Iris,
Hac pluuia fæcundus ager iã vernat Amoris,
Germinat è noſtris & ſpes, & vota medullis
Primaque virginea donat ſuſpiria vitæ.

Virid. *Imò putris ſterileſcet Amor, ni dona feramus.*

Pom. *Cor dedimus: donata ſatis Virgo eſt: Amor ipſe ſupremum*
Munus erit.

Virid. *Sed verba damus, niſi munera demus.*

Daph. *Nullus auarus amat: donis metimur amores.*

Amyn. *Fauor obſequij per verba tenus*
Color eſt picti nudus amoris,
Non calor animi vera loquentis.

Daph. *Prodigus eloquio ſi re non iuuit amicum,*
Non habet in fibris, in labris geſtat amorem.

Amyn. *Parcus opum genius ſi ſe tibi iactet amantẽ,*
Periurum credas. amor eſt profuſio cordis,
Cuncta ſecernit medullis, præter id quod deperit.
Quid tenere poſſit ille, ſponte qui ſe prodigit?

Daph. *Credo, vides quantum cœpit* Deus *ipſe profundi*
Amare dum nos capit orta in Virgine.
Ni fallor, cenſum hic omnem diffundet Olympi,

Aman. & *Procul hinc ergo procul hinc abeat*

Daph. *Extra fines exul, amandi*
Pectus auarum.

Pen. *Sed cenſus tenuis donis abſterret agreſtes,*
Monticolas, & ſyluicolas ſiccoſque, leueſque,
Aere ſuo deſtitutos, & breues marſupio.

Virid. *Vt velimus dona ferre ferret hoc penuria?*

Po. *Hæc reclamat voto amãtũ; nec puella eſt indiga.*

Daph.

Daph. *Floribus affluimus* :

Amyn. *Censu Pomona redundat* :

Da. Am. *His eget illa etiam;namque amat illa etiã*:

Daph. *Nempè in Amoris*
Sacro deliquio fulciri floribus optat,

Amyn. *Optat stipari malis in syncope Amoris* ,

Vir. Po. *Hoc belle est.* Virid. *dabimus nos Viridarij*
Affatim flores virentes. Pomar. *Poma nos Pomarij*,

Virie. *Fallimur,heu praceps florum fortuna recessit,*
Ver abijt.frustra Zephirum accusemus inertẽ .

Daph *Imo Aprilis est apertus:Diua ocellos extulit* ,
Diua respirat: reflauit dulcè mordens aurula,

Pom. *Fallimur:heu campos decoxit sydus hiulcum* ,
Arbuteasque animas in mortem siccior astas
Autumno spectante dedit. quid gignat in hortis
Pomona funesta domus ?sua funera deflet,

Amyn. *Imo rore stillat Æther; lacrymata est Pupula,*
Nec quiescit aura , curas ventilat suspirijs,
Nempè ab ista cordis aura,rore ab isto luminũ,
Gratiaque,gloriaque mira fit pragnatio ,(rũ,

Da. Am. *Quin magno excrescet fructu fatura bono-*
Tcta nam Virgo tenetur Sole: pleni lunium est .

Virid. *Ergo eamus, & corollas machinemur floribus*:
Virginis in facie sumpsimus auspicium .
Vultus ille fausta nobis nunciat Floralia .

Pom. *Nos quasillos oppleamus messè fructuaria.*
Virginis è gremio sumpsimus auspicium :
Pectus illud fausta nobis spondet Autumnalia.

Omnes. *Vultus ille festa Cali continet Floralia.*
Pectus illud plena cali condit Autumnalia .

ACTVS

ACTVS SECVNDVS.

Daphnis cum Virid., Amyntas cum Pomar.

Daph. ITe vos pratorum amantes, iteodorum & aucupes.
Intimos ite in recessus fætuosa Cloridis,
Cloridis fœtus & omnes messe larga excerpite,
Multiformes ferte syluas vngue molli caducas,
Inde nos florum architecti moliemur Virgini
Plectiles herbis coronas, floribusque pactiles.
Diua postulat corollam; sponsa, credo; est Numinis,
Numinis conuiua certè est, iam coronã flagitat,
Ite citi; interea
Hic ad vmbram ego parabo lenta in vnum vimina,
Apta vincla faderandis in coronam floribus;
Vincla nã mihi tetendit Diua, cordis vinculũ,
Diua qua semet Tonanti concatenat arctius,
Amyn. *Quid moramur? ite amantes grandiorum stirpium:*
Quotquot Pomona praclara stirpe creantur
Poma ferte sponte nata, nata vel connubio,
Quaque forma, quaque odore, qua colore pranitent.
Diua fraudis omnis expers, gaudet à spõtaneis.
Imo gaudet illa natis fructuoso ex insitu.
Auguror hoc etenim; voto subsignet Olympus.
Diuinitatis surculum propagini
Inseret humana stirps hac non sectilis vlli.

Ite

Ite citi. interea
Vimine nudato lucentem hic texo quasillum
Conuehendo fructui:
Nempe & illa erit quasillus conuehendo Numini.

Daph. *CELSVLE, flos iuuenum, perge hinc tu primus in hortos,*
Liliumq; carpe, florum principem excelsissimũ.
Rectus: & enodis radiosa fronte coruscat
Floræ superbæ fastus amabilis:
Regale sceptrum, Veris in regno, putes.
O esset hic flos, aureus;
Sol esset inter sydera
Hortensis æthræ: argenteo
Candore Luna est; sed tamen prato creat
Diem serenum: collige, collige:
Aurora surgit, lilijs
Farcta sinum, mea Diua, inquam, formosior illis.
Iuno fertur lacte nostrum candidasse lilium,
Dum galaxiæ supernum lilietum conderet
Rore papillæ.
Fabula est mendacis æui: Veritatis candidæ
Sæcla fundat iam Virago: nempe nupta hæc Numinis
Candidatis vsque terris sternet in Cœlũ viã.
Flosculum datura nobis lilieto ex ætheris.
Ite citi: interea
Hic ad vndam flexuosas comparo genistulas
Implicando mox tenellæ floriferto Virginis,
Sed non illa etiam teneræ lentore genistæ
Cœlo vincla parat; nodo adamantino
Iam Tonantis cinxit iras, & ligabit fulmina,

Amyn. *Protinus AVRILLE huc defer centum aurea mala.*

Flore nouo, fatuque nouo, semperque virenti
Arbor fronde nitet, simulacrum nobile Diuæ
Halitum commendat oris imbuens odoribus,
Et venenis dissipatis ima cordis recreat.
Sic & os mihi est odorum, de puella dũ loquor:
Quicquid illam corde trudit, hoc venenum est
noxium.
Hesperidum quondã ex hortis Tirintius heros
Geryone extincto germen vitale redemit,
Anguror hoc etiam (subscribite sydera voto)
Ditis abacta
Multiformi Diua monstro, Cælitum è pomarijs
Arborem vitæ reducet germinatu Numinis,
Ite citi: interea
Hic ego pomis vehendis texo lentam fiscinam,
Diua sed non lenta curas mille cordi intexuit.

Daph. *Perge nunc ROSILLE perge te manet rosariũ,*
Vngue leni carpe vernã stirpiũ Augustã, rosam:
Ardor est Euri volãtis, purpurissa est Cloridis,
Aureo riget capillo, fronte ridet coccina.
Pratorum rapies Helenam, caue, pollice tuto,
Bellum inflat: spinarum acies vltricibus armis
Vulnera tentabunt, constabit sanguine raptus.
Non amica sit cruoris? nata fertur sanguine:
Cæca mater namque Amoris cæcioris credita
Vulnerata, senticosas dum pererrat semitas,
Proximam pedi cruento concolorauit rosam,
Candidumque ciuem in hortis coccinauit regiè:
Ite citi: interea
Cautus hic ego parabo senticeto ex aspero
Molle vinclum fasciandis floribus pũgentibus.
Acrius sed Diua pungit (in medullis vulneror):
Mox crebro solamine curas
Mitigat, ceu vincla cordi fasciatim colligans.

Amyn. *Vade*

Amyn. *Vade nunc HERMILLE, vade, poma defer punica.*
Cypriæ roseta dantur: gaudet Hermes punicis:
Fortè quòd natura duplex: mala dicas, an nuces?
Fortè quod multus latebris cõtegendis est locus:
Credo fiet & latebra Virgo nostra hac Numinis:
Quicquid est in cælo amoris, credo, in illâ absconditur.
Punica mala refer, sexcentum cortice in vno
Dona feres & damna feres ter mille colubris
Nempè laudes mille, mille gratias congemmeas
Celat vno in corde Pupæ multiplex felicitas.
Viperæ morsu è trilingui sanor hic. sed vnicè
Diua cor mihi momordit, & piget sanarier.
Ite citi: interea
Virga ego multiplici blandum pertexo quasillũ:
Diua sed virgis Amoris me flagellat blandius.
Da, Am. *Vos tamẽ hic passim consistitis, ibitis omnes;*
Amyn. *Cuncta ferte (nam potestis) poma cum Pomarijs.*
Palmarum cariotides caducas
Cum cerasis, chamæcerasis, & myxa Damasci
Cætera pruna; pyra, & nucipruna, & persica, mora
Atque vuas auro similes & coctona lenta,
Ferte coronatis mespila verticibus:
Iuglandesque nuces, & duro viscere corna.
Scrupulosa fortè amabit, nucleata optauerit.
Quidquid est in corde amoris, totum in illam enucleo.
Paradisus est Puella:
Extra illam nulla est messis, vindemia nulla,
Extra illam vix ipse ferax autumnet Olympus.

Ite

Ite citi : interea
Fructibus innumeris fiscellas vimine texo :
Diua & os mihi capistrat laudis intextu sua,

Daph. *Quicquid affert floris, herba terra prægnans æthere*
Huc afferte ,crocum,cytisum, colocasia,caltam
Et molles violas,& languidulos Hyacinthos;
Sitque odor hic Tymbræ;sitque odor hic casia
Cum ligustro candicante nigricet vaccinium,
Variata multo vertice fritillaria
Pensiles conchas repandat more tintinnabuli,
Iridem mox discolorem sume tecum bæticam
Quæ carinet vsq; frõdes quæ comas acuminet,
Sume narcisum comantem præcocem , ac serotinum ,
Siue tu montanum amabis,siue calcedonium.
Filios tepentis auræ (Cloridos familiam)
Fimbriatos,bracteatos,vndulatos,tortiles .
Paradisus est Virago .
Extra illã ver non vernat,nec germinat vsquã
Si germinat non frondet;& si frondeat,
Non gemmat,& si gemmat haud floret tamen.
Floret?arescet repente,Flora iam defloruit.
Ite citi : interea
Floribus innumeris lora hic de vimine texo,
Captiuis teneris mollia vincla paro.
Virgo etiam lorum est;arcum subtendit Amoris,
Ex illa iaculum sensimus ire Deum.



ACTVS

ACTVS TERTIVS.

Viridarij, Pomarij, Daphnis, Amyntas, Menalcas.

Viri. *M Onstra rerum sunt in hortis.*
Pom. *Sunt, & in Pomarijs.*
Daph. *Antequam Diuæ afferamus munera hæc hortensia,* *(mus.*
Explicanda, & expianda sensa Cæli hæc sensi-
Amyn. *Hinc adeo te consulimus diuine Menalca*
Cui nemus argutum Iordanis, diuaq; magni
Dauidis chelys, & Salomonis sistra loquuntur.
Daph. *Tu causas Pastorum audis, tu carmina Vatũ*
Prisca tenes, genio, ac studio gratissimus astris.
Menal. *Laudibus affluitis. modica hæc in pectore virtus*
Non opis est tantæ: tamen aduenisse bonũ sit:
Nec deero fatis, nisi votis desit Olympus.
1. Virid. *Liliorum grandem aceruum bellè in vnum adegeram*
Inter lanigeras cum tranquillissima Matres
Nunquam enixa prius, fœtum sine labe niualem
Lilioque candicante candidum magis dedit
Acrius intentis dum spectat lilia ocellis.
Ampliushoc etiam: depasci lilia cœpit
Editus agniculus, quod que admiraberis vnum,
Non illum mater, Matrem pascebat ab illis.
Men. *Virginis est soboles, tantum quæ pascitur inter*
Lilia. adest Agnus, certo qui fœdere terris
Sydera conciliet: Virgo cui dona paratis
Diuini generis puerum feliciter edet.

San-

Sanguinis & noſtri : ſumetque à prole nitorem ;
Scilicet, è Calo Gabriel cum lilia promet
Concepiſſe volet, cum fatu habitura pudorem
Daph. *Pudor eſt morari hic amplius .*
Amyn. *Et ſtultus pudor eſt, non limen adire ſalutis,*
Occludi & terris, vbi iam reſeratur Olympus
Da.Am. *Hinc agite ad Dominam .*
1. Pom. *Sed prius hoc refera. Sexcentũ medica mala*
Aurea mala, inquam Dominæ legiſſe volebam:
Colligo vbi hæc ſeptem, atque alia hæc vbi col-
ligo ſeptem
Nullum præterea licuit mihi vellere germen,
Nec mihi, nec Lycidæ (Lycidas & viribus ipſum
Vinceret Alcidem) quin & ſunt dulcia ſeptem,
Acria ſunt ſeptem, plura hinc rapuiſſe nequiui.
Men. *Acria ſi ſeptem , ſeptem ſi dulcia mala,*
Auguror hinc fieri . Numero ſeptemplice conſtat
Pulchritudo expleta rerum, & Optimi abſolutio:
Ergo quòd Virago amandi culmen extremum
premat .
Per contraria fata migrabit
Tacta ſepteno dolore , gaudio & ſeptemplice.
Amyn. *Dolor eſt morari hic amplius .*
Daph. *Et fatuus dolor eſt: Diuæ inter gaudia furtim*
Viuere cum poſſis, miſero conuiuere vulgo.
Am.Da. *Protinus ad Dominam.* *(mus*
2. Virid. *Sed prius euulga hoc nobis. Ego in ordine pri-*
Purpurantium dum roſarum cyſtulas plenas fero;
Bellua, quadrupedũ quæ occurrit maxima nobis
Turrem humero geſtans, rubro externata colore
Vertitur in rabiem, tum diro cæca furore
Huc, illuc rapitur, donec veſana ſuperbam
Excutiens molem fregit per ſaxa cerebrum.
Menal. *Agnoſco hoc etiam. Cocyti bellua princeps*

Hæc

Hac est, qua turrim Babilonidē in astra gerebat.
Hac Diua obiectu, quae intacti sanguinis albū
Et nece purpureum florem gestabit in vlnis,
Territa confremuit . tum fracta superbia Ditis
Mentis inops transuersim aget in sua damna furores .

Daph. *Furor est morari hic amplius,*
Amyn. *Et vilis furor est, dumos praeponere, possis*
Cum gaudere rosa; linquam spineta lacertis .
Da.Am. *Ocyus ad Dominam.*
2,Pom. *Hoc tamē haud linques indictū, fide Menalca,*
Nam punicis dum gemmulis
Granosa poma defero ;
Squāmeus in spirā linguis vibrantibus anguis
Seruabat callem fastosus murice, & auro:
Cum subito aspectu conterritus, alta citauit
Sibila, mox iacuit ventrem disruptus inertem,
Men. *Scilicet haec illa est serpens, quae faucibus Adae*
Primaeuam noxam vetita transmisit in esca ,
Et soboli maculas. & toxica caca reliquit .
Vnica qua primas nascendo consecrat auras
Virgo excantabit diuinis artibus anguem ,
Hoc sibi praemeditans iam concidit ille pauore,
Amyn. *Pauor est morari hic amplius*
Daph. *Et turpis pauor est , vltro differre, quod optes.*
Am. Da. *Ad Dominam , ad Dominam, namque hic impune morari*
Qui liceat! miror tam lentum haerere Menalcā.
Men. *Imo citi properamus. Amor non mobilis, vnum*
Est iter ad superos, harendo appellimus illuc .

F I N I S.

VENA-

VENATVS

MELODRAMA MONTANVM

Pro Ludis Virginalibus
DIE NATALI DEIPARÆ
in gratiam Seminarianæ iuuentutis

PERSONAE.

Faustulus — Montanus
ChorusPastorum — Chorus Venatorum

ACTVS PRIMVS.

Faustulus cum Pastoribus. Montanus cum Venatoribus.

Faust. *QVID properas Montane? graui sub sydere Titan*
Aestuat; incassum rupem venatibus vrges
Agmine cum tanto: secretis callibus errant
Sole procul, fouesque latent volucresque, feraeque
Hic mecum potius paucis volo te abde per vmbras.

Mont. *Tu mecum potius praecipitantibus*
Curis curre precor sic mihi, sic meis
Obiectum est properè grande negotium
Elisabeth, inquam magna venatum mihi
Denunciauit maximum totis agris,
Expectat illa regiam de Nazareth
Domi puellam, & hospitem excipere expetit
(Excipiet autem) regio
Mensa paratus; nostra si quicquam valet

Per prata, per sylvas manus.

Fauſt. *Agnoſco Diuam, agnoſco. Super hac ego tecum*
Pauca ſequar præſens, res eſt non parua: maneto
Nec timeas: prompti per cōmoda tempora tecū.
Ibimus unà omnes Paſtorum turma potentum.

Venat. *Quid facimus Montane? dies declinat: inertes*
Caſtigabit Hera: effugiet quin præda per umbras
Noctis; age in latebras, dum cuncta in ſole pa-
teſcunt.

Mont. *Ergo (Sodales) ite, remotum*
Ambite nemus

Venat. *Ibimus illic gratior umbra eſt*

Mont. *Vos apricos cingite colles*

Venat. *Ibimus: illuc iter haud longum eſt.*

Mont. *Vos vicinum fluuium totis*
Superate vadis

Venat. *Ibimus: illic mitior æſtus*

Mont. *Ite frequentes, aptiſque locis*
Aptate canes, donec apertum
Aere cauo ſignum dedero, primordia pugnæ.

Fauſt. *Ite per excelſi potius iuga verticis; illò*
Abdidit hinc ſe ſe pulcherrima præda, Virago
Cloride floridior, Pomàna ditior ipſa.
Hæc ubi prædata eſt noſtro de pectore mentes
Continuo in montes ſeſe auia tranſtulit altos

Venat. *Huc (ſodales) conuolemus, conuolemus ocyus*
Diſgregatim virginales occupemus tranſitus,
Mitis una præda ſæuis mille præſtat belluis

Fauſt. *Certè illa eſt adeo puella mitis,*
Vt reddat cicures Dei furores
Sed Virgo veſtras (credite) effugiet manus
Ceu noſtros celerans oculos paulò ante profugit
Vidi ego (& ò) dixi, cum iā procul ipſa volaret,
Nunc latet in tenebris, latebris abſtruſior ipſis

Venat. For-

Vena. *Formosam sequimur, longum latuisse nequibit:*
Instar solis habens, vbicunque effulserit ore,
Sponte dies aderit: sic nulla latebra latebit.
Faust. *Irruit in syluam,* Venat. *Syluam scrutabimur omnem*
Faust. *Flumine diffugiet.* Venat. *Vallabimus aggere flumen*
Faust. *Virgo delicijs Deum fluentem*
Vallauit meliùs sinu:
Sed præcelsos petijt montes
Culmina transiliens.
Venat. *Astra petemus*
Celsiora montibus
Faust. *Quid si cæcas ruat in valles!*
Venat. *Eruemus tartara*
Faust. *Cœlum potiùs tenet illa suum;*
Solis est imbuta vultu, solis & cursu meat
Enatauit terra, & vndis, transuolauit sydera.
Venat. *Si non Phœbi circum radijs*
Cingimur aureis: at nos pennis
Incinxit Amor: si non pedibus
Nubila premimus: at iam cœlum
Corde tenemus.
Ergo ab imo conuolemus: præda nil terræ sapit,
Occupanda nunc est Luna, Sole cum plena est suo.

ACTVS SECVNDVS.

Montanus, & Faustulus cum Pastoribus.

Mont. N*Vnc age, si quid habes referes mihi, Faustule, cursim.*
Faust. *Si potero, referam: nam vox cum sensibus hæsit*

Paulò ante ad scopulum; tenera, inquam, ad
Virginis ora,
Virginis illius, cui tu venaticus omnem
Prædam istam approperas: Vidi hac regione
vagantem,
Et vagari cœpit vna cor mihi volaticum.
Namque. fatebor enim. primum, Montane, pu-
taram
Stultus ego similem Nymphis alpestribus illam;
Sic platanum corylo, cū baccare cynnama nōrā
Conferre, at reliquas tantum premit illa sorores
Quantum iuniperos palma intersurgit agrestes.
Nec plena fratre Luna,
Sed Sole nascituro
Fata videbatur victis Aurora tenebris,
Transfusum gremio sic vidi feruere Numen,
Et vidi, & perij; mecum videre sodales,
Nec tenuere modum diuino fulgure tacti;
Vulneribus gliscit varijs Amor omnibus idem.
1. ex Past. *Asparagum ego legebam*
Senticeto in aspero
Vt robur stomacho daret,
Daret oculis nitorem:
Virgo cum nitela Mundi
Sole mollito sub vlnis
Oculos mihi liniuit,
Et nitorem reddidit.
Amor heu rodens medullas
Robur omne sustulit.
1. ex Past. *Mille fraga ego legebam*
Purpuras dulcissimas,
Quas parenti ægra referrem,
Vt mouerent gustulum,
Virgo cum pudoris ostro

Picta

Picta vultum protulit,
Ægroque mihi gustum illexit
Auidum ambrosiæ:
Amor heu cordi reliquit
Combibendum absinthium.

3. ex Past. *At ego rosam legebam,*
Vt corollam intexerem:
Virgo cum corolla Solis,
Rosa vel roseto amœnior
Centum afflauit odores.
Amor heu spinas trecentas
Corde toto immiscuit.

3. ex Past. *Ego cucumin satiuum*
Hoc in æstu legeram,
Sitim vt laboriosam,
Absque fonte tollerem:
Virgo cum, fons ille venis
Erutus cœlestibus,
Cordis æstum iam leuabat:
Amor heu cordi excitauit,
Fonte in illo incendium.

Mon. *Non ego vestra inter tot vulnera sanas; ab ipso*
Saucior auditu: quid si miracula tanta
Vsurpassem oculis? O vos impunè beatos.
Faustule, nunc fausti fortunam nominis imples.

Faust. *Tum verò edidici, quid sit (Montane) venustas*
Quidue Amor, & Charites, & amœna frontis honestas:
Tum didici sub sole nouo secreta tueri
Numinis, & cæcas fatorum euoluere sortes.
Hæc me Amaryllis habet: reliquæ volitant velut vmbræ
Naiades, effusa quamuis per colla capillis,
Et Driades, quamuis cyrrata fronte comatæ.

Vna satis nobis, superisque hac vna theatrũ est.
Mont. *Mortalem dum tù formã immortalibus aquas,*
Vana sonas, minuisque fidẽ, dum crescis amore
Faust. *Quin maiora canam, sensusque experta per omnes.*
Magnetem gerit illa oculis operosa pudicis
Hinc animã, ac sensum magnetis more lacessit
1. ex Past. *Imo oculis Diua illa poli duo sydera gestat*
Huc animi, ac sensus magnetis more feruntur
Faust. *Respicit hac syluam? trahit ad spectacula ceruos.*
1. ex Past. *Respicit hac fluuiũ? veniũt ad littora pisces.*
2. ex Past. *Venerat in pratum: liquerunt pascua tauri.*
3. ex Past. *Venerat in Vallem: montem liquere volucres:*
4. ex Past. *Nũc venit in mentẽ, fugiũt & catera mẽtẽ.*
Faust. *Sed mira vis nitoris*
In vtroque ocello Amoris:
Nã corui: & merula pennaque nigrãte palũbes
Quotquot secabant athera
Vnico aspectu petità transeuntis Virginis
Candidula extemplo facta Cœlũ omne replerũt
Cygnais acta plumis, & cantibus omnes.
3. ex Past. *Horripilum mihi pectus erat, setisque nigellis*
Prorsus inumbratũ; nunc Diua munere traxit
Argento, niuibusque parem in laeuore nitorem.
Mont. *Nescio quid Magicũ tam mira potẽtia signat.*
Faust. *Nulla est, crede mihi, saga peritior,*
Carmine non lunã rapit haec; detraxit olympo
Solem, dum se vna demisit voce Tonanti
1. ex Past. *Nulla est (crede mihi(Diua salubrior.*
Vipera me stygio
Dente momorderat:
Vix dominam aspicio,
Rupta recesserat.
Tanta salus, & tantus Amor comitatur euntẽ.

Nulla

1. ex Past. *Nulla est (crede mihi) Diua serenior.*
In me Tonantis ira
Telum trisulcum mouerat:
Adest puella contrà,
Vultuque cœlum amicat,
Iterque vertit fulminis.
Tanta salus, & tantus Amor comitatur euntem.
2. ex Past. *Nulla est (crede mihi) Diua seuerior.*
Non hæc profundis elicit manes rogis,
Non hæc ab Orco tergeminum canem:
Sed Dite rupto Cerberus insolens
Collo trifauci multa latrauerat,
Stella vicissim contrepidauerant
Tantis hiabat terra tonitruis
Cum Virgo hæc Erebo potens
Ictu supercilij grauis
Compescuit latrantem,
Secumque Plutonem trecentis
Implicuit lacerum cathenis,
Tanta salus, & tantus Amor comitatur euntē.
3. ex Past. *Nulla est (crede mihi) Diua potentior:*
Rerum immutat Dædala formas,
Vertit in stellas animos amantum
Donat æternis pia corda pennis,
Aliger sensus mihi iam beatum
Tranat Olympum.
Tanta salus, & tantus Amor comitatur euntē.
Mont. *Quid si ego non nota iā sentio Virginis artes?*
Non visu, non voce, trahit me Diua potenti,
Sed cogitatu in vnico
Ex corde, atque oculis mihi
Ducit fluuios, flumina ducit,
Sic suspiro simul, & lacrymor
Pectore, & oculis inconsultis.

Cor mihi toto pectore fluxit,
Cor mihi tota rupe vagatur
Spe, votisque noua lambens vestigia Diuæ.
Et iam canes latrantes,
Et iam feras migrantes
Audio, & inspicio.
Aere cauo iam signa dabo, primordia pugnæ.
Consurgamus (amici) Past. *Consurreximus omnes.*

ACTVS TERTIVS.

Montanus cum Venatoribus, Faustulus cum Pastoribus.

Mont. *Mira res, audita nunquam, visa nuper est mihi.*
Dia viatrix
Cui venabamur, quam venabamur amantes
Se subito ex oculis. & secum protinus omnem
Venationem sustulit miris modis.
Venat. *Occidimus miseri, quia nil occidimus: imò*
Bis miseri, quod tempore in vno
Prædam assequuti, & consequuti nil sumus.
Omnes. *O spes inanes, ò labores irritos.*
1. Ven. *Ceruus erat multo ramosæ frontis honore*
Inclytus: hunc oculis certò sortitus acutis
Infixi iaculis, & erat moriturus ab illis:
Obstitit at Virgo: nam saucius ipse volantem
Insequitur Dominam; quæ dum vestigia ponit
Ecce tibi surgit calcato in tramite germen
Quo dilabentem sistit fera pasta cruorem,
Hinc iaculo extracto densis fugit auia syluis.
1. Past. *Dictamũ memoras: secũ herba mille salubres*
Virgi-

Virginei fœtura pedis patuere per agros
Nam nostro pariter transfixa Ciconia telo
Lapsa est ad Dominæ pedes
Ibi salubrem origanum
Nacta, breui sumpto gramine conualuit.

Faust. *Hospita nempe salus terras erratica lustrat.*
Si quis ergo auet salutem, pergat his vestigijs,

1. Ven. *At mihi illusit Puella gratiam in contrariam.*
Sus obliquo dente timendus,
Actus canibus per lustra meis
Infremebat, multiformi sauciandus vulnere.
Cominus instabam. Cum visa est Virgo seueros
In prædam obuertisse oculos, tum bellua vecors
Concidit, & subitos aruit in cineres.

Faust. *Nil Virgo apud se sordidum,*
Nilque ferox patitur mitis Regina pudoris,

2. Past. *Verum ego Mustelam miro candore coruscã*
Dum sequor, illa
Sub Diuæ latuit tuta lacinias.

Faust. *Est niuei candoris amans, est mater honoris,*
Virgo tutatur nitores, indolem castam fouet.

5. Vent. *Tercentum lepores, mille cuniculi*
Prædæ pusillæ turba minuscula
Diffugere meas insidias palam
Offusi teneros Virginis ad pedes
Immotis canibus, vixque latrantibus.

Faust. *Qui crescit illi magnus in gremio Deus*
Intaminatos non nisi paruulos
Accersit ad consortium, & cœli fidem,

Mont. *At delusa fides, & spes Venatica nulla est.*
Omni sic vacui merce redibimus.
Ludibrium villæ, dedecus & nemorum.

1. Ven. *Ceu de supina inertia*
Pœnas Elisabeth mulier censoria sumet.

Mont.

Mort. *Affer opem quacunque potes virtute, vel astu*
Faustule, fortunam corrige consilio.

Faust. *Vos Esau pradatoris de more cruentum*
Venatum Domina multo sudore parastis,
Et frustra: Virgo pradam fastidit agrestem,
Non amat illa feras, odit & illa feros,
Mitis est: agno nutritur, cuius albo in vellere
Ira decumbit Tonantis dormiente fulmine,
Postulat illa (reor) conuiuia mitis Iacob,
Quibus paterna regna prauertit domus,
Vnde genus nostrum, cui sors data prima salutis,
Ergo agite: huc aliquis Pastorum protinus hados
Ducat recentes ab grege proximo
Qui de lauacro nitidus ascendit, grauis
Semper gemellis fœtibus.
Afferat inde agnum, qui villo nobilis albo
Anniculus mactandus erat sine labe Tonanti,

Mort. *Nec tibi religio est, communes ducere in vsus*
Damnatam Olympo victimam?
Phase Dei expectet solemni cade sacrandus.

Faust. *Imo nũc cœlo sacrãdus: Virgo qua trãsit parẽs*
Hic expectati transitus est Domini

Ven. & Past. *Transeamus, illa transit, feruet hic prada satis,*
Prada sumus hic quot quot sumus:
Instar Agni cor quiescit, instar hadi subsilit,
Vt nos Amoris virga mutatos agit:
Sed venantes si prada sumus:
Venatricem prada sequamur.

F I N I S.

LVSTRATIO

MELODRAMA PRATENSE.

Pro Ludis Virginalibus Deiparæ Virgini concepta Sacro.

In gratiam Seminarianæ Iuuentutis.

P E R S O N AE.

Damætas cum Agricolis.
Alcon cum Armentarijs, & Mopsus.

ACTVS PRIMVS.

Damætas cum Agricolis. Alcon cum Armentarijs.

Da. LVX *mihi festa redit, quo soles*
Alc. *primitus hausit*
Materni per noctem vteri Diuum inclyta Mater.
Dam. *Surgite iã lustremus agros, lustremus agrestes*
Vnica si terris lustrari non eget illa;
Cætera purgentur; lustretur Virgine mundus.
Villicos vocate seruos, & colonos liberos
Seruitutem Diua pellit; dat colonos Ætheri.
Alc. *Nunc lustrare greges, lustrare Armenta necesse est.*
Huc aratores vel ipsos, arboratores voca.
Diua messis est, & arbor dulci onusta Numine
Dam. *Huc ades ò Milon, Calchon ades, & Phrasidamus*

Alc. *Antigenes venator ades, piscator & Olpis.*
Agric *Adsumus è Siluis.* Arment: *E pratis adsumus omnes.*
Dam. *Quam bene siluis erit ex illa?*
Agric. *Fuit ex illa:*
Victus pepulit Diua ferinos:
Pro terrigenum glande bonorum
Seminis ætherei fruges hæc vna parauit.
Dam. *Hæc pro vili fluminis vnda*
Cœli è lacubus dabit vsque merum
Extinguens cypriam facem,
Sensus virgineos creans. Zacch. 9
Alc. *Quam bene pratis erit ex illa?*
Arm. *Fuit ex illa.*
Nam pro fæni gramine Virgo,
Conclusis docuit mentis in hortulis
Pomum inserere ex arbore Vitæ.
Da. Alc. *Ergo Pales, & vana Ceres decedite campo.*
Altern. *Diuam in syluas, Diuam in prata*
Diuam nostra in tecta vocemus,
Nec nisi prisco more vocemus:
Amentem vt ritum sanos reuocemus in vsus.
Ergo, si placet, litemus, lacte, vino, victima:
Ambaruałis eat ter circum pascua pompa
Dum leuis ad numerũ pubes saltabit agrestis
Hoc ergo inprimis: q̃ res benè vertat, agamus.
Dam. *Sole repercusso massa è christallide flammam*
Corripe cælestem: è terris Diua abnuit ignes.
1. Agr. *Accipe: correptus radijs cælestibus ignis*
Ardescit Dominæ; mage cor mihi flagrat ab illa.
Dam. *At meliùs cælestis Amor genitoris, vtroque*
Ducens è gelido viscere Virginem
Ceu silice antiquo scintillam excudit, & arsit,
Virgine inarsit Amor, & virgò redarsit amore;
Lacte

Lacte igitur reple hic pateras, vt frigeret æstu.

1. Arm. *Lacte nouo expleui pateram: sed cor mihi inane est,*
Spe nisi lætetur Domine.

Alc. *Cui venit ad mulctrā nitidi pars lactea Cœli.*
Pronaque felices distendit Gratia mammas:
Hinc lenire famem possis, hinc tollis & æstum.

Dam. *Nunc date vina ciris: dabit & mea Diua racemum*
Cuius ego palmes? Cœli vindemia feruet.

Alc. *Et nostra iam vitis erit Deus arbor inumbrās,*
Nunc tonet è Cœlo, nunc fulmine sæuiat æther.

2. Agr. *Vina nouella damus: veteres abiecimus vtres.* Matt. 9.
Iam renouellat Amor vineta, repastinat æuum.

Dam. *Dulce merum superis expressit nostra Virago,*
Labruscā sed pressat amor mihi corde sub imo.

Alc. *Vincula solue iugis, frondes armenta coronent,*
Mundo sic misero vincla resoluit
Numen dum gremio Diua coronat.

Dam. *Victima procedat triplex donata per orbem*

Alc. Da. *Mox cantu, & chorea campum lustrabimus. Agnos*
Nunc decet albatos lento procedere gyro;
Non hædos saltare decet, procul ite capellæ.

ACTVS SECVNDVS.

Damætas, & Agricolæ, Alcon, & Armentarij.

Dam. *SI vacat arguto solemnis tibia buxo,*
Et pecudum iam lauta cohors februare parata est;

Circu-

Circumeant armenta vices; lustralibus inde
Carminibus, saltuque decet resonare potentem
Syluarum Dominam, tutelam ruris amicam.
Agnos ire decet, sed non saltare capellas.

Omn. *Ite greges circũ; ter in orbẽ armenta ferãtur.*

Alc. *Sic Cæli rapidum Sapientia circuit orbẽ,* Eccl. 24
Et secum mea Diua citato
Circuit ingenio Cælum, gremioq; Tonantem.
Nos etiam circũ per amoris aperta vagamur;
Sed manet in centro pectoris vnus amor.

Da. Al. *Carminibus nũc Diua faue, tibi ducitur orbis,*
Orbis est hæc Diua laudum, motor est Orbis
Deus.

3. Agr. *Cogit imbres fœda nox;*
Pelle nymbos festa lux;
Nubila remoue, Zephirus flat;
Diripe nebulas, properat Sol.

2. Agr. *At tu melius, Virgo, feraces*
Numinis auras cogis in antrum
Pectoris omnes.
Sic & melius Solem è summa
Sede caducum
Nostræ nebulæ offundis amictu.

Omn. *In gyrum nunc ite greges, armenta sequantur.*

Dam. *Sol meat in gyrum; Solem gyrata pererrant*
Sydera; per nubes sua fulgura circinat iris,
Circuit omnis Amans, dum rem, quam deperit, ambit,
Cardi hærens at non circuit vnus amor.

Alc. *Nunc habiles pedibus circo ludamus agresti*
Diua circus est Amoris, carcer, & meta est
Deus:

1. Arm. *Delapsa Cælo patris.*
Operta velo matris

Arca

Arca Tonantis
Semper amantis adest.

2. Arm. *Arca per gyrum cum ducta sit,* 2. Reg. 6.
Et cor nobis per gyrum it.
Nulla est iusto condita lex 1. Tim. 1.
Dauid saltat per compita Rex 2. Reg. 6.

Omn. *In gyrũ ite greges in gyrum armenta redite,*

Alc. *Per fines Arabum Moses girauit amicũ* Exod.
Syderibus populũ: Dauid fregisse Gygantẽ 1. Reg.
Dicitur in gyrũ reuoluto verbere funda, 17.
Nos etiam gyrat sub amoris verbere Numen.
Sed stetit in medio pectore fixus amor.

Dam. *Fistula nunc circum reuocet cum carmine saltum,*
Circus est Virago cordis, victor in circo est amor.

Omn. *Agili nunc age manu*
Quate chelim:
Vigili nunc age pede
Preme solum
Vice tremula, vice vagula
Sacra cohors.

1. Agr. *Vt ego campos pede preculco,*
Sic tanareo dura premantur
Colla Tyranno.

1. Arm. *Vt ego pratum contero plantis;*
Sic proterantur tela Cupidini.

2. Agr. *Spineta calco, heu vulneror,*
Sed inter astra sanus
In horto Amoris colligam rosas meus.

2. Arm. *Cautes pererro; heu saucior;*
Sed inter astra blandum
Molles Amorum plumula insternent thorum.

Omn. *Agili nunc age manu*
Quate chelim:

Vigili

Vigili nunc age pede
Preme solum.
Vice tremula, vice vagula
Sacra cohors
Omu. *Te duce duco Diua choream:*
altern. *Dum pulso pedibus solum*
Terris quicquid inest, te Duce, contero.
Sic inanes calcantur honores,
Sic profani calcantur amores
Sic fortunas, & Fortunam
Pede proterimus fortunati,
Virginis unus nos calcat Amor.
Ah parce; ah nimium Diua premis cor.
Dam. *Carmine deficimus.*
Alc. *Saltu delinquimus omnes.*
Dam. *Dandus sopor defectui.*
Alc. *Danda est deliquio quies.*
Dam. *Siste greges Alcon,*
Alc. *Sistes armenta Damæta.*

ACTVS TERTIVS.

Alcon, & Armentarij. Damætas, & Agricolæ. Mopsus.

Cam: *Mopse decus nemorum, prisco de sanguine Vatum;*
Mente potens, pollensque operum, quibus astra fatigas
Opportunus ades.
Alc. *Qui te vexere secundis*
Huc Zephiri pennis? nam tu consortia rerum
Terrigenum refugis Sinai prope culmina mõtis:
Proximus hic stellis patrijs operaris in antro,
Quo

Quo Moses humeros fertur vidisse Tonantis. Ex I3
Cum daret & leges, antiqua & fædera terris.
Mops. *Paruula vegrandem Stygis oppressura Tyrānū*
Virgo huc me rapuit gremio correpta parentis.
Altior hæc Sinai, manibus iāprehensat olympū,
Hæc una est antrum, nostra quo se obijce terra
Occultet Numen Cælo iam terga daturum:
Nunc timor, & priscæ leges abiere timoris
Vt ius dicat Amor, Diua hæc est una tribunal.
Huc gressū admoueo, viuendi vt iura capessā.
Alc. *Hoc cecidit bellè: quòd nostrum te Duce sacrū*
Inceptasse datur: Iubeas nunc Mopse, quod optas.
Dam. *Scilicet, è viui textura cespitis aram*
Astrorum Domino substruximus auspice Diua.
Mops. *Scilicet erratum est: namque vna pectoris ara*
Scopus hic nostri gaudet Amoris.
Placet vna Deo victima cordis,
Non cespites, non herbulas
Viuas ad horam postulat.
Immortale sibi fulcrum de floribus optat Cā :1
Amoris in relapsibus.
Sic virore cum perenni lectus illi est floridus. Cā :1
Dam. *Nos propterea campo in medio*
Aræ ingentem duximus vmbram
Immortali fronde perennem.
Mops. *Peccatum hic etiam; secretas nō amat vmbras*
Diua hæc: Solem sectatur, verboque potenti
Sistet illum raptum ab astris Gedeone fortior, Iof.10
Alc. *Accipe nunc lactis pateram: sacrabis Olympo.*
Certus, quòd (primos cum soles Virgo subibit
Annæ steriles egressa sinus)
Bene compressi cymbia lactis
Alia, atque alia sponte feremus;

Virgo splendet lactis albo, lacte spumat dulcius
De nitore, ac dulcitate lac vocatur Virginum:

Mopſ. *Fallimur hic etiam, dulcedo pinguis, aquoſa,*
Algida, mollis
Fortem non oblectat amorem:
Virgo voluptatis mammas, & mollia vitæ
Commoda iam repulit, pulſa hoc à lacte; priuſquam
Lactis vel fuerit capax:
Dulciarius Cupido non dat eſcam fortibus.
Hebr. 5. *Solidis epulis paſta Tonantis*
Viuit Amazon
Orta ſimul, pariterque adulta.

Dam. *Hunc igitur cratera vides: neruoſius illo*
Nullum crede merum, nil gratius accidit ori,
Gaudia fert oculis, naribus obſequitur,
Diua Deo, ac diuis ſic placet vndelibet.

Mopſ. *Hic quoque decipimur: ſacris abſtemia labris*
Num. 6 *Nazzarena fugit Baccum, Bacchique ſodales,*
Prou. 6. *Regibus haud dandum vinum eſt; hæc regnat in aſtris.*

Dam *Sinum feracem reddit, ac lætas genas*
Deſpumans Bacchus:

Cant. 1 Dan. *Sunt vbera Virginis omni*
Lætiora Bacco, & omni
Vineto fecunda magis; iam vina faceſſant.

Dam. *Paruulus ecce tibi vittatis cornibus Agnus*
Expectat cultrum; modò merſum in gurgite laui.

Mopſ. *Diſplicet hoc etiam; non mentio grata lauacri,*
Nulla vbi ſordes,
Non hic tu maculas, nō hic tu vulnera tergas.

Alc. *Victima nil ergo luſtret?*

Mopſ.

Mopſ. *Luſtratio rerum*
Diua eſt, vna ſuo mundum luſtrabit in Agno.
Cætera ſacra vacent.
Da. & *Nil placet ergo*
Alc. *De noſtro nil ergo probas?*
Mopſ *Imò omnia laudo,*
Cuncta placent: nam corda placent ſat cognita Diua
Plus ſatis hac Virgo cordata eſt, cor probat vnum,
Vnum pro cunctis cor amat illa tuum.

FINIS.



PAL-

PALMITIS, ET PLATANITIS

MELODRAMA NEMORALE.

Pro ludis Virginalibus Die Deiparæ inuisenti Elisabetham Sacro

In gratiam Seminarianæ Iuuentutis.

INTERLOQVVTORES.

Palmitis. Custos Palmarum
Platanitis. Custos Platanorum
Primus Chorus Sodalium ex Palmeto
Secundus Chorus Sodalium ex Plataneto.

ACTVS PRIMVS.

Palmitis., & Platanitis. Primus Chorus. Palmeti. Secundus Chorus Plataneti.

Palm. O QVI *toto vertice montis*
Tota errati rupe sodales,
Nũquid nostri culmine montis
Visa est nazzarena Viatrix!
1.Chor. *Nostri dudum culmine cordis*
Fixa est Nazzarena Viatrix.
Plat. *Dicite tandem: numquid nostri*
Margine montis descendisse
Visa puella est?
2.Chor. *Procul à nostri margine Mundi*
Visa est ascendisse puella.
Vn.ex *Fallor! an illa est.*
Pal. *Quæ nunc summaria vallibus extat.*

Ior-

Iordanis ampla valle feracior?
Vn'ex *Quæ nunc Hermonij collibus instat*
2.Ch. *Cæli supremis montibus altior*
Fallor an illa est?
1.Ch. *Fallimur heu heu*
Colles nitidos accliuis habet:
Nos cænosa in valle moramur
2.Ch. *Tutas valles decliuis habet:*
Nos præcipiti rupe vagamur.
ex 1.Ch. *Videonè illam! non sibi semper*
Est cæcus Amor.
Videor videre quiddam
Quo nil videre est pulchrius
1.Cho. *Illa, sodales. illa profectò est;*
ex 2 Ch. *Scilicet. Illam si vidisses,*
Lumine vtroque
Captus, nulla hic visa videres.
Vibrat ocellis
Infinito Sole corusca
ex 1.Ch. *O me miserum, qui si videam*
Oculos acri lumine perdet
Spectatus Amor. Et ni videam
Lacrymis oculos dolor occæcat.
1.Cho. *Cæca sors nunc verè iniquo respicit nos sydere.*
Palm. *Quin serenat te beatis Gratiarum obtutibus.*
Siue Amor te cæcus orbat, siue te cæcat dolor,
Sospitatrix Diua gestat in sinu collyrium.
Plat. *Diua Sole fœta miro est, qui recenti lumine*
Totidem terris, acuit visus,
Quot noua Cæli visa colorat
ex 1.Ch. *Sed noua terris visa colorat:*
Auroram en video primus. Io. venit.
ex 2.Ch. *Peream nisi me videt illa prior.*

Bene

Bene tam radiat cor mihi ab illa.
Bellè ut pereo totus in illam.

Palm.& Plat: *Non perimas, vita presto est, qua ciet sensum mihi,*
Euocatque sympathiam de medullis intimis:

Omnes. *Illa, sodales, illa profectò est.*

ex 2.Ch. *Agnosco oculos, gemino exturbant*
Sole procellas,
Cordis mei procella.

ex 2.Ch. *Agnosco genas. Vincunt lotas*
Lacte columbas tam bene cordis
Nitor per ora funditur.
Quin & minio grana rubello
Punica vincunt. Amor è gremio
Tantus inardet.

ex 1.Ch. *Nosco labellum, cuius ab vno*
Murice flagro, Illa profectò est.

ex 2.Ch. *Nosco capillum, cuius ab vno*
Crine flagellor. Illa profectò est.

Palm. *Deus in vultu quam magnus inest?*

Plat. *Deus in gremio, sed maior inest*

Pal.& Pla. *Plaudite mecum: iam certa venit.*

Omnes. *Et nostra venit, dubitata diu*
Dia viatrix.

ACTVS SECVNDVS.

Palmitis, & Plataniti's. Primus Chorus ex Palmeto. Secundus Chorus ex Plataneto.

Palm. *QVò Virgo praeceps?*
Plat. *Cara quò tandem fugis?*

1. Cho. *Siste, precor, consiste Virago.*

Plat. *Quid fessa migras?* Palm. *Num Diua times*
Quæ sic rapidas induis alas?
2.Cho. *Siste precor, consiste Virago.*
Palm. *Consiste. ne te læserit*
Flammantis ardor syderis,
Sydus in terris meum.
Plat. *Consiste, ne te læserit*
Vndantis ardor pulueris
Cordis ò ardor mei
Palm. *Ades ad palmas bona Diua meas*
Tù palma es vincentibus vna
Plat. *Ades ad platanos bona Diua meas*
Vna es tu platanus dulcè refrigerans
Cordis æstuarium.
2.Cho. *Ades ad platanos fessa per æstum*
1.Cho. *Ades ad palmas inclyta Victrix*
Plat. *Hic diffusis dædala ramis*
Solis radios placat in vmbris
Dulcemq; hyemem sylua propagat,
Tibi quam similis Diua propagat?
Sic ardentis Numinis iras
Lenire potens, Numen opacas
Ades ad platanos, mea Diua, tuas.
Palm. *Non palma vmbras iactat inanes*
Multo fœtat germine felix.
Nucleato passim abundans fructuosa nectare.
Non dissimilis tù, Virgo, sinu.
Quam bene autumnas, reposto succiplena numine.
Ades ad palmas, mea Diua, tuas.
Plat. *Elata nimis palma superbit*
Nec se acclinat dura prementi
Hanc tu facilis mea Diua fuge.
Contrà platanus bracchia tendit

Re-

Ramis aperit gratum amplexum
Vt tù Numen complexa tenes.
Ades ad platanos mea Diua tuas.

Palm. *Nam quid Platanus quid habet recti?*
Tortuosas machinatur flexibus fallacias
Hanc tù simplex mea Diua fuge,
Contrà valido stipite recta
Proxima Cælo Palma perennat
Ades ad palmas mea Diua tuas

2. Ch. *Fuge palmetum.* 1. Cho. *Quin Platanetum*
Bona Diua fuge

ex 1. Ch. *Si deuictis Erebi furijs*
Duceret entas Diua triumphum
Ades ad palmas, Vnica palma est
Apta triumphis.

1. Cho. *Vnica palma est apta triumphis,*

ex 2. Ch. *Si detractis Erebi spolijs*
Figere tentas, Diua, trophæum
Truncis platanus reget exuuias.
Ades ad platanos. Vna est platanus
Digna trophæis.

2. Cho. *Vna est platanus digna trophæis,*

ex 1. Ch. *Hic ad palmas sibilat Aura*
Vocat in portum mille laborum.

ex 1. Ch. *Hic ad platanos murmurat vnda*
Vocat in pelagus mille bonorum

1. Cho. *Leuis hic æstum temperat aura*

2. Cho. *Leuis hic æstum frigerat vnda*

Palm. *Sed non hæc animi frigerat æstum.*

Plat *Non illa sitim pellit Amoris.*

1. Cho. *Ades ò Virgo, te vacat Aura*
Aura vocat quæ gignit Amores.

2. Cho. *Ades ò Virgo, te vocat vnda*
Vnda vocat, quæ vectat Honores

1. & 2. Ch.

1.& 2.Ch.*Ades ò tandem plena laborum.*
Palm. *Te Palmitis* Plat. *Te Platanitis*
1.Cho.*Te palmetum*, Cho.*Te Platanetum*
Omn. *Palmeta vocant, Plataneta vocant.*

ACTVS TERTIVS.

Palmitis,& Plataniris. Primus, & Secundus Chorus.

Plat. A*Ge Palmitis: Diua recedit.*
Palm. *Diua recessit, Platanitis age*
1.& 2.Ch.*Nam quid agamus?*
Otiũ turpe est morari, sed sequi vanus labor.
Plat. *Ah sic platanum liquisse potest*
Sponsa tenella per astum?
Palm. *Ah sic palmam liquisse velit*
Bello fortis Amazon?
Plat. *Viden' ad Quercum properat Mambre*
Palm. *Iam non properat, considet illic,*
Vbi tres vidit Cæli iuuenes
Vnicus Abram.
1.& 2.*Sic Palmetum sic Platanetum*
Ch. *Virgo posthabuit deuia quercubus?*
Vn. ex *Sed bene quercum Regina premit.*
1.Cho. *Satus è Cælo tritici aceruus*
Cælibe gremio germinat illi.
Hinc rude sæclum Diua refingens
Glandes veteres mutat aristis.
Plat. *Ambit quernam Diua coronam.*
Cæli ciuem sterili matris Ioannem intelligit
Gremio clusum Stygio ex hoste
Seruare parat.
Palm. *Me seruasti. Palmis nempè*

Sic proludit Virgo futuris.
Sacli venient lustra beati;
Cum Victorem Erebi felix Augusta Tonantem
Progenerans, palmas mirantibus inferet astris:
Mille trahens secum palmatas æthere turmas.
Nūc ciuē in matris gremio seruare, corolla est.
Sic publicis triumphis
Priuato ponit Marte tyrocinium

Plat. *At cur dextro pede vibrato*
Stirpem quercus proterit imam:

Palm. *Scilicet. imo à stipite plantæ*
Truncos vitiat morbidus atro
Dente Chelydrus.
(Quercus miseræ fortuna grauis)
Virgo hæc igitur quamuis Adæ
Prognata satu, stirpis vitium
Exturbato detrahit angue
In puelluli Ioannis hospitalem gratiam

Plat. *Gratia Diuis. Non hic Drynas*
Fœta veneno, stirpem maculat.
Sic incolumi de stirpe mihi
Diua gemella est. Hinc illa meum
Platani nomen dignata feret
Quæ propter aquas erecta viget. Ecc. 23

Palm. *Sed non illa hic erecta viget.*
Sedet: in placidam, credo, quietem.

Plat. *Cernis vt cubat per vmbrā ventilata ethesijs*
Vt per æstum frigerātis guttulam somni bibat?

Pal. & *Age nunc plectris, age nunc cytharis*
Plat. *Melopæa cohors.*

1. Ch. *Huc soporillos per vmbras marginatas floribus,*
Gratiasq; somnorinas faustitatum dædalas
Intra ocellos conuocemus ad canorū clasicū.

2. Cho. *Dulcitate rorulentos conuocemus somnulos*

Noctis

Noctis atra de papillis in pupillas Virginis

Palm. *Imò non de nocte atratos excitate somnulos:*
Ex Olympi sede verna candidos accersite,
Sic Iacob dormienti scansiles propter gradus
Cælitũ argentata pennis deuolabant somnia,
Porta Cæli vbi reclusit Numinis magni domũ.
Hospita hic maior quiescit, Stella Iacob aurea;
Pectus est domus Tonantis; & beati FLAMINIS
Ianua est, vno reclusa VERBI amantis osculo

Plat. *Cerne ocellos: hic videbis per fenestras æthera.*

Palm. *Verũ ocellos non videbis, iam tegit soles duos*
Somniosa Eclypsis illi Sole mundi pulchrior.

ex 1.Ch. *Sed quid hoc? risu puella*
Auspicatur somnulos? *(Charis?*

ex 2.Ch. *Quam venustè ridibunda gestit in vultu*
Quam tenella fulgurillis, quam serena stellulis
Virginis genas inaurat; plena põpa vt dormiat?

Plat. *Credo sub quercu vetustas faustitates ruminat*
Quercũ ad hanc Saræ parenti nũciarũt Cælites
Nasciturum Isac, parentum nempe risum, & gaudium.
Illa, opinor, cogitata corde nunc festo coquit:
Matris illi nam renidet quanta sors in pectore?

Palm. *Eia momentis canoris dulce præcedat melos*

Plat. *Ramulis euentilatis factitémus Ventulum.*

Pal. & Pla. *Auspicemur Virginali somnicello gratiã*

1. & 2. Ch. *Age nunc plectris, Age nunc cytharis*
Melopæa cohors

1. Ch. *Mecum Sodales, ludite barbitis*

v. Ch. *Mecum sodales ludite fistulis*

1. & 2. Ch. *Augeamus Virginali somnicello gratiã.*

Palm. *Sed satis lusum est. fauete. Diua iam somno vacat*

Terminãs multos labores. vnà ocelli clausula.
vn. ex *Mira res. quid esse dicam? Sol ad vmbram*
1. Ch. *sternitur*
Noctiluca veste cinctus. noctuis credo, patet.
ex 2. Ch. *O beatos nos sodales, scena nobis panditur.*
Nos egeni luce quondam noctis atra filij
Spe videndi iam beamur. nube Cælũ obnubitur.
Palm. *Vmbra Solem hac non repellit, sed ferocem temperat.*
Vitta Amoris obuolutus vibrat hic modestius.
Matre Luna discet Orbi fulgurare humanius
Plat. *Vmbra non adauget vmbras, sed theatrum illuminat.*
Lingua siste, aures valete,
Iam subintrat Visio — Videbit omnis caro salutare Dei.
Sat verberatas ponite barbitos
Palm *Inflatasq; satis ponite fistulas,*
Luna sedit. Sol quieuit, conquiescant flamina.
ex 1. Ch. *Cor mihi, sed non quiescit, flare votis impotens*
Plat. *Vos per capreas, ceruosq; leues* — Cant. 2.
Millies, precor, sodales
Id cauete, neu beatam quis quietem exulceret:
Halcyon hic nidulatur pacis authorem Deum
Hinc habentur nostri amœna cordis Halcyonia
Omn. submissa voce. *Cedite cytharæ, plectra silete.*

F I N I S.



D E

DE METRIS HORVM MELODRAMATVM.

QVONIAM in hisce Melodramatis non scænicæ Actionis modo, sed Italicæ Musicæ pariter, ac Latinæ Poeseos rationem habere debuimus: morem gerere tam multis, & a se diuersis dominis, laboriosa prouincia fuit. Propterea primum quidem rerum nouitate, ac breuitate verborum, amoliri auditoribus tædium, Cantoribus laborem adimere, omnibus verò delectationem homine a vitijs libero dignam afferre curauimus: tum multiplici carminum varietate sententias disposuimus: animaduertimus enim metra Latina expressa nostratis harmoniæ modis multum afferre satietatis in Dramate, si tenore simili diutius cadant. Indulsimus etiã eruditioni huius sæculi, & eorum præsertim, qui huiusmodi cantionibus interesse grauati non sunt; ijs enim cum omnium versuum dimensio in promptu esset; species illas dispares vnico ictu mentis, & aurium internoscere, pergratum, perq; iucundum fuit. Adde quod ratio hæc disparilis morem Græcæ poeseos habet, non mediocriter consentientem amænitatibus melicis Italorum: ne dicam non omnes animi sensus vna metrica lege teneri potuisse.

At huic varietati intrusimus versus aliquando, non versus, hoc est, non è castigatis-

ſima latialiũ Muſarum diſciplina profectos veluti factitia monſtra Parnaſi. Factum negare non poſſumus: cauſamu: autem monſtroſam diſſentionem melodię noſtratis cum antiquis metris, & pronunciatione Maiorũ. Purgabunt igitur nos, vt ſperamus, apud veteres Latij Camænas, harmonicæ Charites recentiorum, quæ tamen non niſi raró priores partes apud nos habuerunt. Neq; enim, aut imperitia, niſi fallor, aut laboris fuga, vt ſcio, effectum eſt, vt metrum aliquod exlex inter legitimos ferè omnes verſus licenter excurreret. ſed dedita opera operoſi alioуerſum fuimus, experti nimirum noua hæc carmina ſuis aptata locis opportunius in rem præſentem Muſicam accidiſſe. Exemplo ſint verſus illi, quos in Viatico Peregrinæ Chorus primus cecinit vt Virginem ſiſteret tempore ardoribus, ac loco ventis obnoxio properantem.

Quòd ſi rapidas diligis auras:
Mille hic ſpirant ſuſpiria cordium.
Quòd ſi rapidos diligis æſtus;
Mille hic ardent incendia pectorum

facili enim negotio continuare potuimus anapæſtos hunc in modum fortaſſe legenti ſuauiorem

Quòd ſi rapidas diligis auras;
Spirant hic ſuſpiria mille:
Quod ſi rapidos diligis æſtus;
Ardent hic incendia mille.

Strophem etiam aliquando concluſimus hemiſtichijs voce monoſyllaba terminatis, vt illud in Comitatu Ventorum.

Æolo

Æole Ventorum Rex. quamuis hic in numero. verſuum haberi poteſt. & alibi. *Neptune Rex* cum in procliui fuiſſet dicere. *Cuſtos Æolia potens.* & *Ingens Oceani ò Pater*

Rurſus in Comitatu Ventorum loco laudato in extrarium ferri alicui videbuntur ea carmina, quibus Venti, emicantem ſequendi Virginem impetum apertum, & inſignem fecerunt. poſtquam enim dixiſſent.

Spirat illa Amoris aura. mitte: conſpirabimus.
Flagrat illa Amoris æſtu. mitte: conflagrabimus.

addiderunt.

Migrat illa? nos commigrabimus
Volat illa? nos conuolabimus.
Conſulgurabimus, ſi fulgur eſt:
Conſulminabimus, ſi ſulmen eſt.

Quæ omnia, ad notam aliquam metrorum amuſsim exæquare potueramus: ſed experientia edocti ſumus, longè alia efficientia euibrari in animos canoras gratias ijs carminibus, & acriores impetus concipere Muſicam artem huiuſcemodi metris irritatam.

3 Verum, nè caſu, ac temere excidiſſe huiuſmodi abnormia carmina viderentur, pluta ſemper ad eoſdem modulos, & reſponſu pari conſociata dedimus, non ſine exemplo Græcorum.

4 Non fuiſſet fortaſſe ab re, verſus hos extraneos ſemilunulis prenotare, ne adoleſcentiores decepti aut facilitate, aut nouitate, trahi ſe ſinerent ad imitationem præpoſterã. qui etiam facilè ſibi ipſis fucum facient, exiſtimantes aliqua carmina extra ordinem ac

numerum probatorum versuum esse, cum reuera non sint. sed ij nonnisi ex Magistrorum præscripto audere, aut iudicare quicquã deberent, alios verò doctiores per se ipsos animaduertere isthæc posse cr edidimus: neq; enim ad pauca respicientes, improbare aliena hi solent, ne qua sententia damnant alios, eadem ipsi damnentur.

Sed illud etiã Lectorẽ monitũ velim in vna interdum, atque eadem linea descriptos esse duos versiculos. id aut breuitatis gratia a Typographo, aut incuria quadam a Scriptoribus factum putabis; & pro tua sapientia, & humanitate, quæ sic literis continuata sunt, mente distingues.

5 Noua aliquando vocabula excogitauimus, & similiter cadentia vt. *Eia tu Parda, liastes, Eia tù Rinocerastes.* Vt enim aiebat in Oratore Tullius. In Poetis licentia maior est faciendorum, iungendorumq; verborum.

6 Pauca quædam ab antiquo loquendi vsu abhorrere videbuntur. vt cum vox hæc *Suaues* tanquam trisyllaba vsurpatur: erat autem, nisi me fallit opinio, tantum dissyllaba. Si quidem cum Oratorum Principe præsentem vsum sequuti sumus, abstrusam doctrinam apud doctiores redolere nos satis putantes.

Verum si cognita hac tota causa viri sapientes sententiam in nos asperiorem ferãc: feremus memores imbecillitatis nostræ.



EXCVBITORES Ad Cunabula VIRGINIS

Siue laudes

IN NATALI DEIPARAE DEI Latina, & Graca soluta, ac vincta numeris oratione celebrata.



Excubiarum ad cunabula Virginis. Vigilia Prima.

Quæ natam Infantulam ab erroribus & inscitia liberat.

Habita

A IO. LVCA SPINVLA GENVENSE.

FOrtissimus exercituum Deus profligaturus Rempub. vitiorum (Audit. Ornatissimi) merito hodierna die bellatricem Virginem Amazonem corde potius inustam quam mammis, ab ipso conceptu eruditam victorijs, antequam prælijs eduxit in lucem; hoc est notam illam, & amatorio Salomonis Oraculo nobilem castrorum aciem ordinatam, in solem ac puluerem euocauit. Nos profecto felices, qui per natalitia obsequia dulcissimæ huic Prouinciæ destinati, ad ipsum Imperatricis Augustale, ad cunabula, inquam, natæ Virginis Prætoriani veluti vigiles excubamus. Et primæ quidem vigiliæ, cui præ-

positus virginali imbuor Sacramento, tesseras in rem nostram accomodare poteramus veteres illas, ac nobiles. *Venus genitrix*, & *Optima mater*, quarum alteram Cæsar postquam sapijt, alteram vero priusquam desiperet Nero vsurparunt, sed sapientissimus literatorum Imperator Salomon symbolum piæ huius vigiliæ illud attribuit. *Sapientia ædificauit.* In munitissima scilicet arce, & machinamento sapientiæ excubamus ad primas insidias & aggressiones malorũ nostrorum arcendas aptissimo. Homines profecto statim, vt, dato vitalis militiæ nomine, stipendijs mortalitatis auctorantur primam sub uita Vigiliam à communi illo hoste hebetatione mentis, stupore ingenij, ac supiema labe inscitiæ se se expedire non possunt. Hic igitur aduersus ingenitæ nobis imperitiæ vim summus ille machinator intelligentiæ, ac faber ingeniorum Deus Virginem nostram in arcis cuiusdam excellentissimæ modum extruxit, cuius in præsidio, ac statione expediti atque alacres vigilamus. Nondum infantia iacit hodie prima fundamenta viuendi, cum ad fastigium intelligendi molem hanc suam sapientia iam perduxit. In quo sanè vnius infantulæ, siue quod idem est bonorum omnium opificio ita forma operis exprimit opificem, ita Virgo hæc diuinæ molitricis suæ vultum spirat, atque indolem, vt quod de Ioue Helenam a Polluce non distinguente fingebat antiquitas, immortalium parens optimus Deus, iucunda veluti similitudinis fallacia decipi quodammodo videatur: dum enim hodierna die præsentem sibi occurrere Virginem nostram videt, eam veluti diui-
nam

nam sapientiam ratus iisdem compellat nominibus, & vocat primogenitam ante omnem Creaturam ex ore Altissimi prodeuntem, & creatam ab initio, & ante sæcula; vsque adeo sapit Architectam suam Domus hæc aurea sapentiæ; Neque enim materies eius sculptilis aut cædua de libanoticis, aut ophirethicis iugis ad explendam vallem, vt ad Salomonis templum deuehenda fuit: fundamenta quippe eius in montibus, & ipse fundauit eam in saphiris Altissimus, sponte incuruatis mundi collibus ab itineribus æternitatis. Moles insanas erudiendis posteris inædificauit sapientia Aegyptiorum, quorum Pyramides omni genere doctrinarum insculptæ, vel ex eo nomine septimā mundi admirationem meruerunt, quod nonaginta, & amplius annis trecēta millia artificum vix eas elaborate, ac veluti tela terrarum in Cœlum directa fastigiare potuerint in mucrones. Dianæ porrò Ephesiæ templum annis septingētis tandem absolutum est infinitis operum, & operarum sumptibus, ne constaret vilius futura ibi superstitio omnium nationum. Verum hæc admirabilis diuinæ sapientiæ moles aduersus inferorum hostium acies armata clypeis ac tormentis, vt stultitiam, & impietatem propulset è terris, ab æterno ordinata dicitur excogitatis diuina machinatione consilijs, vt quamuis nouis, semperque maioribus vaticinationū, ac signorum præmonstrata modulis fuerit, nullus tamen tam fœlix Pytagoras extiterit, qui vestigij mensura aliqua comprehensa amplitudinē, ac fastigium tantæ huius basilicæ modulari ac reperire potuerit. Eius partes non illustria

priſcorum annalium monumenta edocent cælaturis, ſed ſpirant potius viuis operum argumentis inciſæ moribus,animatæ virtutibus Matronarum veterum, quæ veluti adumbrata ruditer, atque impolita exempla venuſtatis præceſſerunt hanc, ſi fas eſt dicere,Venerem cœleſtis Apellis. Heroinarum ſiquidem antiquarũ lux omnis,& gloria inſtar noctis erat paulatim euntis in diem,quam noſtra hæc Solis Regia mortalium oculis adminiſtrat, Domum auream ferreo crudelitatis ſæculo bonorum omnium euerſor extruxit Nero æmulatus in metallo ac lapide Chryſtallum celeberrimam Archimedis. Ibi Architectus nitentem hunc cœli vultum ac totius naturæ lineamenta complexus animo,ſtrinxit breuiter argumentum Vniuerſitatis, & Sole,ac Stellis ex auro, gemmiſq; fuſis,cæſis atque traiectis mundum omnem ſeculis ſuis intexuit harmonica Pythagoræ vertigine conuolutum, vt vnico videri poſset intuitu quicquid Philoſophorum, & Aſtronomorum peritiſſimi quique de cœli,ac ſyderum curſu, & occurſu, ortu, & occaſu, quicquid de ſtatis interuallis motuum,temporumque vicibus diſceptarunt. At quanto melius noſtra hæc Virgo Virtutum omnium domicilium, non tam cœli faciem, quam cor ipſum complexa cœleſtium, mulier illa eſt,quæ clamydem plicatili Sole elaboratam quaſi prætextam æterni Principatus circumferens condidit ſæcula noctis expertia, cuius ad pedes candidata pacis Luna prouoluitur, & cothurnos inducit Dominæ, vt perſonam, ac geſtum agens,extremum actum peragat beatitatis in hoc publico theatro calamitatis. Cuius denique

denique ad comam Sydera diuino textu concreta,& propendula crispantur vt ita dicam in cyrros , & cincinnos diei, quo primum appetente hebetantur oculi Satanæ, qui nunc instar occæcati Cyclopis discurrit amens , certus iterum præcipitij . Non est hic quidem videre, quam suspenso gradu Saturnus peragat inuias solitudines , quam salutari luminis opportunitate terris Iuppiter se dedat, quam tepido cōplexu rerum partus irritet , ac maturet Venus. Sed hic poterit quiuis addiscere quam ardua , & à vulgi opinionibus seiuncta consilia agitet , quam incomprehensibilia iudicia concoquat quam inuestigabiles vias ineat diuinus Pater quanto salutis sydere terris incubet diuinus Filius,quam genitali gratiæ rore virtutum omnium conceptus impleat simul, ac stimulet diuinus amor. Vtinam liceret nobis in penetrale aditum arcis huius admitti propius, vt ad Mineruæ peplum reuelandum fas erat Sacerdotibus in Sacrarium Arcis Atheniensis. Videremus profectò quanto sapientiæ apparatu liberam se, tutam,ac securam præbeat ab inscitia & erroribus in hac prima vitæ vigilia, sed neque Moyses ingredi poterat tectum fœderis nube operiente omnia , & maiestate Domini coruscante . Et nos cum Excubitores simus non nisi ad castra vigilare sub Dio & trepidis in rebu possumus, donec data vitiosæ originis tessera nascituris , tradamus & viuendi vigiliam fœliciter exauctorati calamitosæ huius Militiæ sacramento.

EXCVBIARVM AD CVNABVLA VIRGINIS.

VIGILIA SECVNDA.

Quæ natam infantulam a prauorum Dæmonum aggressione liberam seruat



Oratio Græce habita
A IACOBO ALTOVITO FLORENTINO,
& Latinè sic reddita.

SPartanos quidem indicat lancea, & securis Amazones: excubitores autem cunarum Virgineas fascias pro vexillis erigimus, in quibus symbolum illud, ac tesseram intextam legimus. *Inimicitias ponam*. Animum igitur intendite Iuuenes: neque enim sine hoste victoria, & nisi pugnanti repugnes, cladem referes pro triumpho. Dormientem non coronant leges, sed labor militum, Deum habet commilitonem; surgite igitur iam secunda initur vigilia. En prædonum Inferorum Dux veteratum caput, inuidum oculum circumagens obuium quemque fascinare contendit. Sed telas hic conthecnatur arachnæas machinator stultitiæ. Speculum enim hæc Virgo est illud purissimum diuinitatis, quod non recipit, sed in authorem regerit labem illa.

illatam, iam vero neque innatam deprehendes maculam quamuis cernas acu ius lynce, tota enim pulchra est, & macula non est in ea. Candor est lucis eternæ, proinde tu potius fulguris huius aspectu perculsus, & cæcior talpa factus discurres per præcipitia, & tuæ vel auctor corrues ruinæ. Meministine quam acri fulguraret acie Michaelis hasta, dum te cœlesti è regione deijceret? At hic vt te de terris expellat, ipsius Tonantis telum iam stridet è pharetra, Virgo, inquam hæc vagit è cunis Nescis sane quid de te cogitaret Deus dum Sisaram tradidit in manus feminæ? dum caput Holofernis vnius Iudittæ fortitudini destinauit? Profecto iam disces factus teli huius, & arcus huius trophæum. Ne mihi igitur afferas huc grande supercilium spirans confidentiam, pone hic, pone superbiam multum enim flatus habes, sed iam nihil roboris, & inflatis sanè buccis procul expuis, quia bile abundas, ac rabie, sed ne time. iam & viscera excreabis, & animum: Quid clamores excitas, ac tumultus? Vtres quidem immanes distendit ventus; te autem vanitas: sed vna hæc Virgo demisso pede conteret caput tuum, quod instar vtris vacui dat tantummodo sonitum, quia disrumpitur.

EXCVBIARVM AD CVNABVLA VIRGINIS

Vigilia Tertia.

Quæ natam Infantulam ab Amorum cœlestium rapina liberat



Carmen Eroparthenicum Catullianum.

Habitum
A LEONARDO TEMPIO FLORENTINO.

HIC Amor est, Iuuenes, consurgite quot-quot amicas
Excubias agitis mecum ad Cunabula Diuæ,
Hic Amor est, superosq. vocans in vulnera amãtes
Tentat bella ferox, ipsa vel pace timendus.
Cedant plectra, lyræ taceant, det buccina cantum,
Iam Musæ nil iuris habent in carmine: Amores
Pro Cytharis tractant pharetras; vice carminis Arma
Quid mihi Pierij centum argumenta furoris?
Magnus amor, magnus furor est; non indiget æstro
Ingenium Pupa vna dedit, dabit vna poesim.
Ergo agite, ò iuuenes legio fidissima Diuæ
Huc vota, huc lacrymas, huc spes, ad signa vocate;
Hanc densate aciem, nostra ad Prætoria, Cunas.

Cre-

Credite, magnarum hic vertunt discrimina rerum
Præda etenim in terris, sed Cælum millie per artes
Nostras contra artes superis riualibus obstat
Vidistis? nunquam tantis laxata ruinis
Se dedits in præceps nudata familia Cæli:
Nusquam alias tam arguta oculis tã plexa capillis,
Tam tenerum incessum crispans vndatile peplo
Visu tam facilis, risu tam festa, serenos
Tractauit Zephyros pennata frequentia Diuum
Me miserum, quantæ trepidant in pectore curæ?
Non sibi collustrasse genam, formasse capillum
Non sibi crediderim; tibi, Pupula. comitur æther
Pro te deuoueant Cælum, & cælestia Regna.
Nam quo consilio tandem, quaue arte putatis
Mille pharetratas posuisse hic Castra phalanges
Num temere posuerunt? haud ego credulus illis
Furto inhiant, noui ingenium: vi & fraudibus vrgẽt
Par est vel superos tantam sperasse rapinam
Cernite. curuatis meditantur in arcubus ignes,
Nec frustra meditantur; habent ad spicula signum
Quo nullum terris, cæloque beatius optent.
Verum ille, ille vnus niueis qui fratribus obstat
Et glabris humeris, & crispo vertice supra,
Ille renidentum genialis Cæsar Amorum
Heu sponsam rapturus adest, sic præscia veri
Oraclo ex veteri (dolet hic meminisse) canebat
Anna parens, nunquam mortalibus hanc hymenæis
Iungendam: Socerum stellatis affore ab oris,
Et thalamum in flammis quærendum, in sanguine dotem.
Hic ille enigitur cum vestigauerit vnus
Millia Parthenidum, de millibus hanc legit vnam;
Vsque adeo non cæcus Amor: palmata recurrit
Palla triumphales Zephiro plaudente per artus

Ensis

Ensis inest lateri; flammæ instar, tortilis ensis
Et femur ingenti gemmarum dote maritat.
Aura comas, Aurora genas, Sol occupat ignes,
Stellantes oculorum ignes, duo fulmina cordis.
Cæsaries latè tremulis vibrata procellis
Pars humero stagnat placidè, pars vertice summo
In cumulos, cyrrati apices, crinalibus vndis
Extant, ceu, scopuli pelago, superimpendentes,
Laurus adulatur vicinum implexa triumphum.
Ecce autem primum obsequium librauit ocellis,
Risit, & arrisit Dominæ: tota ebibit ignem;
Captiuum modo pallor habet, modo purpura vultũ
Iam trepidat, iam iam suspirat in hospite flauo.
Verum ego quid video? Facinus prohibete sodales
Proh quantam, Ah qualem pharetra è gemmante sagittam
Expedijt, quam lunato arcu, & cuspide prompta?
Parce precor iaculis, quid si septemplice ferro
Herculis armatum credas te infingere pectus?
Ah lædis quod amas; vt serues, perdere tentas:
Me potius discinctè ferox, me clade sonanti
Externatum adige, excidioque absume trisulco.
Non illam aut Rhodopes saxum, aut Garamanthis arena
Syrtibus eduxit lybicis, nec spumea creuit
E rapido Venus ista mari. de sydere dulci
Roscida progemmauit, amans, & amabilis vltrò;
Quid flammam in flammas iacis, & das fluctibus vndas!
Quin etiã abscede hinc. quid nos iniurius vrges?
Anna parens, alterque parens cunabula nostris
Commisit studijs, cunarum, & iura reliquit,
Sed stultus nimium, qui Iura indixit Amori;
Non leges, non iussa pati lex vnica Amantum est:
Nil

Nil agimus. Fixit vulnus: sed saucius ipse,
Quale tulit Pupa, tale& puer inde recepit.
Vno etenim Colli de Crine sagittula pennas
Transmisit Zephyris, & cor transmisit Amoris.
Quicquid de superis, & de mortalibus vnquam
Fecit Amor iaculans, telo vno hac fecit Amori.
Dicite Io mecum, vota, spes, gaudia, risus,
In castris Amor ipse suis iam vulnera sensit,
Æternasque tulit vincla ad mortalia palmas,
Sed quid ego lætor demens? si mutuus ardor,
Mutuaque alternis inoleuit forma medullis;
Concidimus socij: nostras Diua ardua curas,
Nil curans, aliò mentem diuisit, & aures;
Si Cælum arrisit, iam terra euiluit omnis
Flete meos casus suspiria, flete dolores.
Fallimur, an subito quatiens cunabula Virgo
Vertitur, vt blandos in nos declinet ocellos?
Fallimur: acclinat superis oculosque, manusque,
Et se se tenero molitur in æthera iactu:
Excubiæ ò miseræ, Iuuenes accurrite, nostra
Tela resumamus, lachrymas, suspiria, luctus
Flexanimasq; preces, & amantes iusta querelas
Quicquid votorum est adducite, quicquid Amorum:
His veluti implexis cunas inuoluite nodis
Retibus his Dominam fugientem sistite: certe
Omnem ego captandi experior venaticus artem;
Cor abijt totum in laqueos: suspiria, cordis
Et telas, & tela mei dispergo beatis
Insidijs: lachrymis vota emollita caducis,
Spesque, metusque altis singultibus intertextos
Agglomero, & Cunas operosa indagine cingo.
Qualis vbi tremulum percurrit Aranea textum
Dispensat trabibus fallaces pendula curas,
Orbibus implicitis replicatos complicat Orbes
Velle-

Velleraque, & villos, fibrasque euiscerat omnes
In fraudem, vt laqueum summis laquearibus aptet.
Ardua viscoso subtegmine circinat orsa,
Inde redorditur Mæandros vna trecentos
Et labyrinthæos flexus, & mille reflexus
Dædala commenta est, eademque Ariadna resoluit.
At nos dum vanam resides imitamur Arachnem
Quã vigiles, quã multa animis meditata reuoluunt
Pennati proceres, quam tota mente laborant?
Nempe pharetrati sunt hic consulta Senatus;
Et statuunt; non hæc illis rapienda videtur
Præda, sed orandam censent affamine Diuam.
Ergo Oratores centum, vena aurea fandi,
Dulcia composito trutinarunt verba labello.
Nunc agite ò socij mecum, & committite mentem
Instantes operi: sequitur Victoria curam.
Dicere si tentent, dabimus responsa parati.
Auditis! Facundus Amor sic voce profatur.
Vt quid adhuc terris forma hæc diuina moratur!
Sydereos artus stellatis sydera cunis
Excipiant. Non Anna decus cum compare tantum
Non menses peperere decem: vix omnibus Astris
Æthra dedit prægnans; auctori reddite partum;
Terrestres habeant bona tam cœlestia Ciues?
Diua veni; caris immixta beabere Diuis
Nectare diuino stagnantes ebria venas.
Gaudia differre stultum est: Cæli vtere donis:
Carpe fugam, mea lux, alienas desere terras;
Vt sis tam fœlix, quam formosissima Diuum es
Dixit Amor. nos hæc contra dicamus Amori.
Vt quid enim è terris forma hæc diuina recedat!
Si fœta hoc tantum terris decus Astra dederunt,
Cur subito eripiant? largitur munera Cælum,
Cælestes eadem furentur munera Ciues?

Diua

Diua mane, terras de te facis vna beatas,
Ambrosiosque dies, & plenos nectaris annos,
Accipere est miseri: miseros ditare.beatum est
Siste fugam. mea lux, patrias ne desere terras
Vt nos felices cum sis pulcherrima, reddas.
Diximus hæc: contra sic respondistis Amores
Tu niue candidior totas sine labe columbas
Anteuolas,atri turpata hæc secula mundi
Ah te ne afflatu lædant, rosa lactea odoras
Non benè dat pompas propter vaccinia nigra.
Accipitres fugit alba nigros omni arte Columba:
Non Aquilam Ibis delectat, non Coruus olorem.
Quid tibi cum terris! vnus tibi concolor æther.
Carpe fugam,mea lux,alienas desere terras:
Cum paribus duces longè iucundius annos
Dixit Amor: nos hæc contra dicamus Amori,
Candida si diua es:nostros prope iuncta nigrores
Candescis melior. nec te contagia lædent,
Ceu Sol intacto calcasti lumine sordes
Iam rosa nec violas temnit,nec splendida viuit
Mollibus in plumis, sed vepres inter acutos,
Turture cum nigro virides errare volucres
Cernimus; atratas nec dedignata sorores
Alba repercusso torquata in Sole columba,
Siste fugam,mea lux, patrias ne desere terras.
Inter dissimiles lucebis carior vmbras
Diximus hæc: contra sic respondistis Amores.
Vt gemma in sterili diues grandescit arena,
Quam firmant auræ,genuit Sol,educat vnda
Dum secreta riget scopulis infixa paternis
Ducit inops,deserta rudes ignobilis annos
Nulli illam populi, nulli optauere dinastæ
At si eadem salebris natalibus eruta tandem
Artificique manu traiectum ducta per aurum

Oceani

Oceani baccis inserta minoribus ardet :
Fama per immensas fundit praconia gentes :
Multi illam populi, multi optauere Dynastæ,
Sic virgo latebris dum te mortalibus abdis,
Nec te tollis humo, nullum es memorabile nomen:
Quod si nostrorum penna sublimis Amorum,
Cæsariem Cælo stellis crinalibus aptes,
Te Dominam inclamat diuinæ Gloria gentis
Carpe fugam, mea lux, alienas desere terras,
Cæli te populus, cæli optauere Dynastæ
Dixit Amor: nos hæc contra dicamus Amori
Vt gemma Eois tranquillæ Tethyos Vlnis
Quæ sata Sole; freto concepta emersit arenis
Pubescit primum natali mollis ab Astro
Nondum baltheolo, nondum matura monili
Quod si illam prædax conchili è stirpe recidas:
Oceano facies, facies dispendia terris :
At si corripias firmatam robore, & annis
Addis & Oceano famam, & das munera terris.
Pupula sic, primo quæ vix tenerescit Eoo
Rapta feret terris cladem, nec seruiet Astris :
At si illam exacto maturam duxeris æuo :
Dona dabis superis, dabis, & præconia terris.
Intempestus Amor, quid messes vris acerbas?
Omnia tempus habent, vos illi cedere par est.
Siste fugam, mea lux, patrias ne desere terras.
Diximus, at contra nil respondetis Amores?
Vicimus, ò Iuuenes: insomnum Pupa reclinis
Annuit. En Zephiri posuerunt flabra: tacemus
Nos etiam, si vos etiam taceatis Amores.

FINIS.

VIA.

VIATORES
Siue Laudes
DEIPARÆ VIRIGINIS
Elisabetham inuisentis.



QVERCVS GEDEONIS
iter primæ diei.

Oratio habita
AB HORATIO SPADA.

TRIVM dierum viam ingredimur Aud. orn. tripartito etiã comitatu augustæ matris magnis ad Elisabetham itineribus contendentis; cũ enim ab Nazareth ad oppidum Zacchariæ milliaria circiter sexaginta numerentur, visum est ætati teneræ Virginis a conceptu recentis optimè consultum, si triduo per viam insumpto, prima quidem die ab domo paterna per Ciuitatem Aphec ad celeberrimam Gedeonis quercum Diua Mater latina oratione duceretur.tum diem secundam consumeret per campestria Sichem græco sermone laudata; donec illam optatum ad locum per difficillima Iudeæ montana poesis Plautina deduceret,vt montis iter asperum, atque præruptum lepore aliquo festiuius molliretur.

Agite nunc sodales optimi, Virgo mater in solem,ac puluerem:Nos in otio & vmbraculis? Emortua planè sunt membra, quæ abeuntem animum non sequuntur. Quando ergo signum abeundi

abeundi dedit iam pietas, colligenda fortasse sunt vasa & sarcinæ, imo verò in perpetuum deponendæ, vt expediti ac liberi quàm citissimis passibus stadium Virginalis gloriæ percurramus; sequimur enim matrem Gigantis, qui exultare nunc primum incipit ad currendam viam, neque laborandum nobis de viatico est: gestat illud in sinu nostra hæc fœta Deo peregrinatrix: commeatum illum per omnia commeantem, quo quicquid est vitæ in Cælo ac terris perenni alimento gratiæ reparatur.

Sed Virgo iam gressum mouet a Nazareth, cuius nomen quia florem notat, mirum profectò non est, si florem abijcit, quæ fructum iam defert in gremio. Vrbem verò egressa, dum loquimur, iam se penetrat in solitudinem; fortasse quia manna secum affert in vtero nubes hæc volans: non nisi deserta per loca pluere solet hoc nectar: sed potius recessus abditos, remotasq. semitas init, vt nobis omnino vacet. Adeamus igitur, & iucundo aliquo sermone, quod genus vehiculi censetur optimum, Viatricem nostram, quò defatigetur minùs, hunc in modum allocuti prosequamur.


Nosti Domina, quæ loca peragras, infesta quondam latrunculis ex Mohabitide, & militibus ab Assyria: sed iam faustissimi ominis ea sunt: quòd ad læuam Elisæi Prophetæ sepulcrum visitur, ad dextram Ciuitas Aphec monumentum inclytum victoriæ de centum millibus Assyriorum. Et tumulus quidem Elisæi vitæ generator extitit prodigio memorando: cū enim prædones populabundi excurrerent & nescioqui regionis accolæ mortuum quendam

tumulandum efferrent, ſubito latronum timore correpti, in proximum vatis ſepulcrum, vti feſtinatio tulit, deiecerunt. Ecce tibi Prophetæ oſsibus cadauer applicitum, non purulenta contagione diſſoluitur, ſed ſalubri fomento recaleſcens ſacris è cineribus animatur ad vitã, fructum lucis, ac ſpiritus in ipſa mortis, vmbræque regione recolligens. Verùm hæc ſi mira ſunt: oh quæ de te auguror iam prodigia Diuina Viatrix. Vatum omnium auctor tuo inſidet vtero, quem tumulum eo ſolum nomine dixero, quòd in illo vitia omnia enecta, ac tumulata in nihilum deuenerunt. Quid fiet cum mutuo brachiorum appulſu, circumplicata Eliſabetha, Ioannem in gremio è regione latentẽ attinges? Quid Chriſtus infans vatum Magiſter vitæ noſtræ ſpiritum hauriens affini Ioanni præſtet mortuo prius, quàm nato; ſi vatis defuncti iamdudum oſſa vitam externo homini reddiderunt? Profectò oraculum ſuum diuino animabit ſpiritu puer hic Deus. Stare loco iam neſcit Ioannes: geſtit exultim in vtero mente vegetus ante, quàm ſenſu, natalitia celebrans ante quàm natus: vtrinque expirant halitus gratiarum, vtrinque amatur medullitus: ambo in altis parentum viſceribus amoris mutui fundamenta iaciunt, & promiſſo vtrinque ſanguine fœdus ſempiternum feriunt pueruli cõfatales. Sed ad fatum Aſſyriorum recolendum inuitat nos ciuitas Aphec, quam ſitam nobis ad dexterã præterimus. Ibi Regem Syriæ Benadabum Ioas Dux Iſraelis non ſine oſtento Numinis debellauit. Cum enim Ioas iam ctiſimum ſibi vatem Eliſæum inuiſeret de dubio

rerum suarum statu sollicitus, iussus est Rex afferre sagittam,& arcum: afferenti Regi Propheta: cape manu telum, inquit, & arcum: cumque aptasset Rex manum,superposuit manus suas ille manibus Regijs, iussitque feneſtrã ad orientem solem aperiri.tum iace,inquit,sagittam ò Rex: collineante Rege conclamat Elisæus: sagitta salutis Domini contra Syriam: percuties Syriam in Aphec donec euertas illam. Eo auspicio recreatus Ioas instaurato bello Regem Syriæ suprema internecione deleuit. Deleuit ille quidem Israelitarum Dux Regem, ac regnum impiorum in telo & arcu. At tu Regina cælestium. & magistra pietatis telo & arcu tuo virtutis imperium asseris,& exercitum renouas gratiarum. Accede nunc primùm ad Elisabeth,& extensis in amplexum manibus arcum Amoris effinge. dum enim collum collo, & brachia brachijs effœtæ matris impones, aperiet fenestram cordis Ioãnes ad Solem orientem sibi: tunc exiliet radio Solis illustrior è sinu tuo sagitta potentis:transfixoque latere Satanæ,libertati iam redditus infans exultantes gratias citabit ad numerum in triumpho.Verùm ego non mediocriter vereor,ne vel medias inter gratias viatrici iam fessæ molestiam itineris, nostri sermonis ingratijs augeamus. Laudes coram in os fortasse non patitur modestia Virginalis; imò vero laudationes nostras fastidit assueta præconijs Angelorum.Bonum factum igitur:in portu sumus. Video non procul quercum veterem Gedeonis primum nostri itineris diuersorium ac sedem. Sub ea mortales olim Angelorum con-

for.

sortio fruebantur ibi hospitium & colloquiũ Angelicum excipiet domina, quando non curat humanum, Ibi de die bellator Gedeon Cæli iuuenem ita allocutum audiuit. Tecum dominus: virorum fortissime, macte virtute, Israelem de manu Madiam liberabis. Quid hac nocte audituram putamus nostram hospitem bellatricem! Audire mihi videor Angelicæ vocis oraculum, Tecum dominus iamdudum est, gratia affluens. Macte puerperio Virgo fæcunda, & quando iam misisti manum ad fortia, perge feliciter per obstantes difficultates, atque discrimina: Elisabetham inuise colloquere, amplexare, donec in vno Baptistæ liberato capite mortales, ex imperio Satanæ manu afferas vniuersos.



ITER DIEI SECVNDÆ




Oratio Græcè habita
A POMPEIO EVGENIO
& Latinè sic reddita.

CAELVM ineunte diluculo mea viatrix Aurora iter in terris en secunda die resumit ad montana Iudeæ, vt Sol huius Auroræ gestatus vtero Ioannem materno pariter inclusum gremio, hoc est luciferum suum latentem in nebulis, excitet ad nuntiandum diem salutis, Agite sodales protinus: plaga nobis obtigit aprica Cœlo amæna, collibus pascuis felix, celeberrima, inquam, illa regio Sichem, quam tulit Iacob ex Amorrhæo in gladio & arcu. Ager hic quem cernitis ad sinistram peragrandus est, eò felicior hodie. quò fuit antiquitus luctuosior. Siquidem ibi gregem paternum ducentes filij Iacob Ioseph fratrem minimum, cælestis indolis puerum tunica talari nudatum, & aridam in cisternam proiectum: & mox inde extractum seruituti Aegypriæ tradiderunt: fratrum inuidia sententiam exilij tulit. mera somnia fuerunt crimina innocentis. Sed cedat querela vetus nouæ lætitiæ argumento; Alius hic puer indolis verè diuinæ paruulus (*minoratus ab Angelis est*) nostræ mortalitatis indutus lacinijs materno sinu, puteo illo aquarum viuentium receptus iter instituit, vt fratres olim suos om-

nes, hodie verò Ioannem primum sopitum in Elisabethæ visceribus extrahat è somnijs, vniuersosque demum eximat à stygij Pharaonis miserrima seruitute. Vale igitur, atque salue, ager ò felix: qui fraternis quondam odijs concepisti semina futiarum: hodie pressus à Virgine Amoris matre ipsam segetem proferes gratiarum.



MONTANA IVDEAE ITER DIEI TERTIAE Aduorsitor.



Carmen Eroparthenicum Plautinum. Habitum A FRANCISCO MARIA RHO

Dimetri, Trimetri, Tetrametri, Iambici. Achatalectici omnes.

NIL est magis morosum Amori quàm mora.
Mori est morari. sumptibus magnis meis
Hanc veritatem enutrio in pracordijs.
Eius ego gnarus cum sim, vos mecum esse gnarures volo.
Hæc siquidem Olympo tertia luciscit dies:
Ex quo prærupti montis ad crepidinem (simis,
Pede, vt video, sinistro adueni, ventis aduersis-
Diem ex die Dominam hic expectans votis quã longissimis.
Nam me præfecit vnum magna Elisabeth
Vates futuri præscia,
Aduorsitorem Virgini Augustæ obuiam.
Triduum hoc iuratus dicerem expleuisse triennium integrum.
Atque id enimverò mihi patientiam omnem ex animo expectorat:
Nam Solem oririter vidi, nec tamen mea
Aurora exoritur. Phœbe nimis nihili hodie es:

Tuque

Tuque Venus inuenusta nimium si meum
Luciferum, si meum non apportas oculis tandem diem;
Quanquam minoris pendam vos, cum nostra Aurora illuxerit,
Cuius ego pluris facio vel minutulum crepusculū
Quàm faciam mane vestrum, & vesperas, meramque meridiem.
Forte illud ex me quæritis; Quis hic meus
Sit Lucifer, quæ Aurora cordis, qui Sol: cuius ego solarium
Amoris conscriptum telo, omnes horas numero noctu ac diu?
Ite ad Sybillas, petite vaticinos senes.
Namque illi super argumentum istud vnicum
Contexuere Iliades, ædificauerunt gymnasia,
Ne dicam Græciam integram sapientiæ.
Illam nempè sine viro fœtam, illam Virginem cum filio
Celebrant, terrigenamq ancillam Reginam Cæli ac Tartari,
Reliquæ innuptæ puetæ, nuptæque puerperæ
Sunt riui, scatebræ, guttulæ, bullæ; vnica hæc
MARIA est, à magno nomen deductum mari:
Siue quia nos amare doceat: siue quia vastum est mare,
Quod intumescit flante nunc primum Deo.
In quo vtinam mihi liceret naufragarier,
Vt ego votorum vela, mentisq. gubernaculum integrum, &
Si quæ supersunt cordis fragmenta libens pelago hoc perderem.
Sed quid de pelago fabulor diutius
Homo siccus, nudo in scopulo, vacuis retibus
Piscator nihili? præda iam effluxit retr.

„ *Illa etenim beat alios alibi : hic ego maceror ,*
„ *Nil est magis morosum Amori: quàm mora.*
Ah quoties dixi . fortè circuitu ambiet
Supina montis hæc viatrix . fallimur
Nam recta pergit semita, oblqua inscia .
Imò illa normam pectore in medio vehit
Prodromo Ioanni deferens ,
Quo dirigatur omnis in Cælum via .
Hoc etiam dixi . fortè dum somno breui
Commendaui oculos : illa festino gradu
Præteruolauit hàc, auris non conscijs ,
At ego per acutum tramitem, ignotum, inuium
(Gnarus locorum Pastor edocuit Cromis)
Manibus, genibusq reptans, saxa & cespites
Vndique prehendens, verticem vado super
Regione ab omni prægustaturus oculis dulcem Hospitam :
Sed nulla, & nusquam visa est . Nullus hinc ego sum , atque nullibi ;
Quinimò vbique, præterquam mecum habito .
Mille vijs animus egressus foras , nulla redijt domum .
„ *Illa etenim beat alios alibi: hic ego maceror.*
„ *Nil est magis morosum Amori, quàm mora.*
Orpheum diripuisse aiunt Bacchas Bacchantes ; nugas meras
Fuisse credo, præ vt quo pacto differor .
Trahit Amor. ira distrahit ,
Dolor humectat , furor exiccat , spes æstuat hyemat timor .
Si quid refecit lætitia, si quid spes succidanea :
Tristitia subito diruit. herba quasi solstitialis ego sum :
Repentinò orior, & repentinò occido ,

Tan-

Tantas mihi in corde creat Amor discordias ?
Quas non ego indipiscor ægritudines
In cogitando, quod tenella hæc nupero
Recens à fœtu Virgo, montanum iugum
Aspretis intractabile tractabit pedes?
Non equidem patiar. animum aduortite soda-
les. Hinc ocyus
Remouete cautes, extirpate caudices radicitus.
Transtro, cylindro, tundite, premite, complanate
omnem ambitum.
Vti ego in gymnasio Amoris durè vapulo.
Sentes, paliuros. carduos, omnem rurestrem
asperedinem
Passim emollite in Alexandrinam culcitram,
Vt tenero facilem materiam incursu premat.
Quanquam illa non tot figet humi vestigia,
Quot ictibus vrgens animum iam calcat meum.
„ *Illa etenim beat alios alibi: hic ego maceror.*
„ *Nil est magis morosum Amori, quàm mora.*
Me miserum. quid si ab æstu Solis feruida
Ægrescit Domina? forte nec salua aduenit:
Dum per vapores igneos
Zephiro supino Iuppiter sudus natat.
Imò salutem faciet hæc mundi salus
Elisabeth compregnati, & consospitali infantulo.
Sic me vtinam sospitet: neque enim canicula,
Neque ipsum cor leonis æstiui æstuat:
Vt mihi in pectore facit Amor incendium.
Nisi pluuiæ accurrerent lacrymæ, arsisset caput.
Tamen hoc agite, sodales. palmetum cum plata-
neto statim
Compergulate cameratis topiarijs,
Aggerite sylua natiua subitum nemus aduenti-
tium:

Omnemq.rimam frondei tecti obstipantes cludite,
Vt nulla Solis gutta per frondosum imp luuium depluat.
Tum ramis, & ramalibus
Huc aduocate aurillas, Zephyrillos, & quotquot ventulos
Alit vniuersa Zephyrorum cum Zephyriti familia.
Quamuis Æolia tota in pectus, credo, confluxit meum:
Ita crebro anhelitu euaporo difflatus in suspiria.
Namque aliud ex alio malum:
Quid si viarum lassa, vt animum recipiat
Clementi somno indigeat? aliqua ope exoluendum id est mihi
Sternite puluillum floreum herboso in thoro,
Vt Virginis molles ocellos mollis excipiat quies
Prope hunc ocellum fontium, cuius latex
Gelidè caducus, murmurillis concutit
Recens natarum herbarum strepera crepundia.
Fontem illa sitiet; ego verò illam iamdiu
Sitiui, ac sitio plus quàm sitiat pluuiam ardente syrio
Siticulosa Apulia, O factum malè.
Quid hic lacuna stagnat, & limum trahit?
Abstergite, expurgate, facite, vt mundum solum
Nitidis nitelam anteniteat nitoribus,
Vnde hac fluenta? Credo ploratu meo
Computruerunt pumices in piscinas, ita lacrymis
Nempe obliquesco, nec liquido sum animo tamen:
„ *Illa etenim beat alios alibi; hic ego maceror.*
„ *Nil est magis morosum Amori, quàm mora.*
Verum quid hoc? liquidior mane roscido
Tenerescit aer. credo persentiscitis. Aurilla incipit
Nescio

Nescio qua, nescio quò, nescio vnde suppalparier
Mihi per ora: mille turbellas agit
Improbula, factiosa nemoroso in foro,
Syluam excapillans dispalatis frondibus: :
Certa hæc propinquæ dominæ prælibatio est.
,, *Oh aura tu mentem beasti. vsque adeo pretiosa*
est mora
,, *Cunctando, commorando transegit mihi victo-*
riam.
Sed spes inanes quatimus: Aura quæ semel
Libauit osculata Virgineum sinum,
Vultumq. florifertum cum capillatu aurifiexili,
Inde recessisset? fabula.
Non tot ego corde spinulas, non riuulos
Ego tot ocellis germino,
Quot ibi aura rores, quot ibi flores metit in Amo-
ris area,
Et fruitur elaborato inde nectare voluptabili:
Verum aliunde mihi volupe est. Auditis? Aues
Fritinnientes exilierunt affatim.
Solitoque more longè dulcius canoras animulas
Cantu soluto euiscerant medullitus:
Melopeia Progne tinnulos init modos:
Pleno aliæ sonitu tremulum splendidè pessundant
æthera,
Dum concentus acuminant
Animi sensum rotundãtes canorosum per turbinẽ.
Non temerè exilierunt, non sibi stultè canunt:
Dominam non longè abesse iam præsenserunt ar-
gutulæ:
Dominæ occinunt venienti, Dominæ se eliquant.
Illi trutilant, illi fringultiunt, illi minituriunt.
,, *Oh Progne tu mentem beasti. Vsque adeo pretiosa*
est mora:

„ *Cunctando, commorando transegit mihi victoriã*
Sed nugas magnas agimus , Aduentum hospiti
Deum hospitantis viscere
Non auicularum friuoli cachinnuli
Prænunciarent . Adsuissent ex Odæo cælitum
Præcentores, succentores Diui maiorum gentium,
Iam fluctuaret turbulentus aer ex concentibus .
Pueri latè comantes , puberesque mollipectores
Teneræ confluge vocum inundassent liquidum campum ætheris
Cytharam doctè conuerberantes de flagello eburneo .
Sed quæ portenta ? fugite, sodales, ocyus .
Nam belluarum turba concursu effero
Platanetum inundat, & palmetum discutit:
Non tot fouentur Africæ vasto sinu
Stirpes ferarum , quot miseram hic syluam premunt ,
At mira res: consistite . oh factum inclytè ,
Nil sylua syluestre sapit , efferatum nil feræ. Vides ,
Iras liquescere, odia collabescieri ?
Ceruum leæna lactat, innocuus leo
Armenta seruat , Gryphibus accumbunt equi ,
Aquila columbæ, Pardalis hienæ accubat,
Lupum osculatur caprea . Molossum lepus .
Compascitur, colluditur , Peream, nisi
Prope est Amoris Mater diuini , hanc notat
Vnus qui bella hac pace componit Deus,
„ *Oh pax tu mihi mentem beasti . vsque adeò pretiosa est mora :*
„ *Cunctando, commorando, transegit mihi victoriã*
Cum præda, cum triumpho, cum tripudio,
Namque aliud longè maius ostentum appulit :
Atrox in vnum turba serpentum coit.

Vipe-

Vipera, Chersydrus, senticeti Rex Draco,
Specubus emissa pestis. altum sibilans,
Ceu fixa telo, sese pracipitem ocyus
Anfractuosa rupis per pronum dedit.
Excessit omne hinc maleficum animarum genus.
Nempe hac Domina certissima est
Nota iam prasentis. Vbi nil restat noxij:
Ibi Deum adesse contendam omni pignore.
Igitur occurro. sinite me. nemo exhibeat negotium.
Quin etiam venti de via decedite
Sic properè propero. socij expectate, vt lubet,

LAVS DEO AC DEIPARAE.



LVDI NATALITII

NATALI VIRIGINIS die commissi.

Siuè

LAVDES DEIPARAE VIRG.

Natali eius die celebrata.

LVDI CIRCENSES

ORATIO

Habita

A D. FERDINANDO CARRAFA.

VETVS illud institutum natali Principum die ludos, ea re natalitios nuncupatos celebrandi restituendum nobis, etiam in maius est hodierna die (Aud. ornatissimi) in eius Reginæ gratiam, quæ vix nata naturæ Deum in orbe terrarum ludentem ad graues hominum curas & cruenta munera subeunda, in theatrum mortalitatis eduxit, in quo nè vacua esset opere puella, cui luditur in hac diuini Amoris ædilitate prima; ipsa & ludorum spectatrix & campus & argumentum & Dea facta est, vt ita dicam; cui si more Veterum, editionis initio sacrificium faciendum esset, pectore iamdudum præbuissem

victi-

victimam candidam: & purum putum sanguinem venis iam darem. Sed quando hoc mihi non licet: illud sodalibus omnibus libuit: quòd cum ludos Veterum omnes amplioris magnificentiæ gratia tripartitos dare possimus in Circenses, Venationes, & Scenicos: primi quidem Latinum Oratorem postulent: alteros eloquentia Græca sortiatur: tum postremi obuenerint Nouianæ Poesi; quæ cum Virginem non in Vrbe, sed in apertæ Regionis villa perampla genitam Litteræ antiquæ testentur: Atellanum nescio quem è campestri sodalitate hilarum poetam dabit: vt insomnem illius ætatulæ ægritudinem atque tristitiam noua subantiqui carminis condiat voluptate.

Agè igitur, quando nostræ sunt Munerarij partes in Circo, ne extra Circum ludamus, initium pugnæ à primo humanorum certaminum ordiamur. Siquidem in Puellæ natæ gratiam, Eua Matrona generis humani prodit in stadium pugnatura cum venefico bestiarum omnium capite: in quo vno vis omnis & peritia sita est Athletarum, & Mirmillonum. Adest enim, nec vocatus ex Inuidiæ specu serperaster immanis: editum Paradisi medij culmen occupat, quò nos ex altiore loco præcipitet: arborem, inquam, inscendit, vt radici nostræ propaginis labem inferat, qua collabimur omnes. Miro ibi pugnandi genere pomum ostentat pro disco: mensam instruit in arena, vt mortem non hauriendam vulneribus, sed deglutiendam morsibus offerat. Mulier ignara fraudis & pugnæ, cuius modestiam decuerat maximè, recipere semet ab hoste, (meritò enim ex veteri Senatus con-

sulto

fulto vetitum eſt fœminis depugnare) Mulier igitur petita ſemel non tam fuſcina Satanæ, quàm faſcino, non auertit oculos, ſed auidiores venenatis obuertit ictibus: imò nec aures tuetur ſatis. dum enim ſibilat anguis inſidioſa ſuauitas, Eua, quæ cantione ſacra illum diſrumpere debuit, in veneficium incidit ſerpentis murmure excantata. Iacet illa: ſed ſpes noſtra non iacet. Supereſt maritus Adam: veniet ad ſecundas manus: en accurit: en ſtatum componit. ſed labantem Euam intuitus, dum vxori lapſæ porrigit manum, corde ipſe labitur in profundum: afflictusq. humi genitor pariter & corruptela generis, nos eius poſteros, veluti cateruarios vna ſecum ruina opprimit vniuerſos. Concidimus ergo miſeri in volutabrum, cum nondum ſtaremus in puluere. ſed nonne prouocare licet ad Principem antequàm in ſpoliarium deducamur? Ex Auguſti humaniſſimo edicto licet. En igitur Auguſta naſcitur hodie. quin tentamus miſericordiam? fortaſſe illa tribuet miſſionem. Ita ſanè; & non orantes exorauimus magnam Matrem. Ferebamur enim in Libitinam, cum iam reducimur in libertatem.

Etenim ſi apud Romanos olim reus aliquis ad ſupplicium ductus obuiam fortè factus Veſtali Virgini retrahebatur à pœna (tanti fuit reuerentia virginalis) multò faciliùs hæc Virginitatis Antiſtita maxima, hodie primum occurrens hominibus, mortales omnes noxæ deditos à ſupplicio eximet ſempiterno.

Sed peractæ pugnæ cum beſtia extracta de inferis, ſuccedit in campum lucta hominis cum Iuuene de Cæleſtibus ordinibus euocato. illa

ſub

ſub lucem adulti Solis euenit aſperè: hæc incœpta lucentibus aſtris, vt olim ad lychnuchos nocturnos, ceſſit ſub Auroram feliciter. Iacob enim cum traiecto fluuio ſolus antelucanis horis ſpatiaretur in littore; ecce tibi de Cæleſti gymnade Agoniſta nobilis hominem prouocat; nec detrectat, ſed contra pugnat Iacob. ibi cum per incertam luctationem diu exercitus Cæli palæſtrita, neque legitimo nexu deijcere, neque per argutias ſupplantare colluctantem poſſet: compreſſione tam valida latus eius adſtrinxit, vt è luxata femoris vertebra iam claudicaret Iacob. Sed Aurora commodùm illuceſcente, veluti mutata cum nocte fortuna, metuens ſibi (niſi fallor) Diuinus Athleta, miſſionem poſtulans: dimitte me, inquit, iam enim aſcendit Aurora. & robur viri ſimul admirans: non illum amplius Iacob, ſed nouo nomine Iſraelem, hoc eſt Deo præualentem hominem ſalutauit. Nimirum Iacob ſtirpem Hebraicam indicat; cum qua rebelli ſæpius & contumaci per tenebras antiquæ legis colluctatus diuinæ iuſtitiæ æmulator & percuſſor Angelus, paulò acriùs, atque ferociùs ſe gerebat. Sed iam aſcendit Aurora. candore naſcentis infantulæ albeſcit & vibrat Oriens ſalutis. Vides Cælites iam arma ſubmittere: Vides Dæmones inducias poſtulare, dum hominem ſimul, ac Deum ope Virginis huius mox futurum, diuinæ iuſtitiæ non ſupparem modo, vt Iacob: ſed præualentem & meritò Iſraelem confeſſi, illi quidem ſummo Cœlo tripudiantes: hi verò totis inferis contremiſcentes, adorant? Quamuis antequàm præferocem audaciam hi Dæmones mali deponam

nant, certamen iaculandi tertium emittunt nobis in Circum, veteres inimicitias cum Dei populo persequi. Cernite, quæso vos, in Terebinto viuentem illum colossum &, verè Gigantem, hoc est, terræ filium Goliattum; buccis terricrepantibus integrum lacessit exercitum: & quassanti capite triumphat secum, antequàm cum hoste confligat. Sed aduersus Polyphemũ hunc duplici etiam oculo minus videntem Cyclopibus, non de militari schola facit insidias Vlysses aliquis, imò de conuictu pastoritio simplex adolescens, aperto Marte iaculatur, fatum in funda gerens & lapide; scilicet ante congressum armorum cataphractus concidit ab inermi: primo funditoris ictu laxata est turris animata Babelis: primo lapide corruit. quis non dicat vitreum planè fuisse Castellum illud insaniæ? Verum excelsus hic Briaræus vnum nobis Satanam Deo stolidè superlatum notat, vt scitis, quem lapis ille referendus in caput anguli, conquassans capita inimicorum effringet tandem in Cruce. En funda de parentis Annæ visceribus contexta cernitur: hæc, inquam, modò nata Virgo, cuius in sinu receptus, & mox emissus lapis, quem reprobauerunt ædificantes, stantem illam in nostris ruinis diabolicam arcem nequitiæ labefactabit.

Sed videtis (opinor) iam, quàm benè vna hæc Virago, cui luditur, ludos omnes exhibuerit nobis. in primo siquidem certamine ipsa conterit caput Serpentis: in altero luctanti homini vires ministrat: frontem Diaboli confringit in tertio. illa igitur Circenses dedit: illa glorię Circum impleuit. illi plaudite, illi fauete.

VENATIONES



ORATIO

Græce habita
A FRANCISCO ALOYSIO COLVMNA.
& Latinè sic reddita.

VETERES Imperatores ferarum agrestium millia aliquando obiecere venatibus Romanæ plebis, comportatis etiam in varias Vrbis regiones solidis nemoribus, integrisq. saltibus ex Algido & Soracte: arma verò quibus eas belluas petere possent ac declinare, dedisse non legimus. Sed populus cum, implorata ope Dianæ, eius tela, & pharetram coluisset, diuisus in studia alij canibus, alij retibus, alij lapidibus, alij contis, & iaculis omniq. venabulorum genere prædam vestigare, petere, captare, premere, figere, transuerberare, omnes media in Vrbe syluestribus delicijs ferocire. Barbaræ voluptati cesserit bestiarum isthæc intempestiua tractatio. illum ego venationis apparatum ingenuis mentibus opportunum putem, quòd cum princeps vitiorum Satanas domesticas animorum belluas auaritiam, libidinem, socordiam, cæteraq. monstra scelerum in hunc desertum virtutibus locum immiserit aduersus inermes mortales; hodie nobis

nobis contra cicures illas humani pectoris feras, non venatricis Dianæ pharetra fabulosa proponitur: sed Dauidis fortissimi bellatorum turris primùm exædificata ostenditur cum propugnaculis; Virgo hæc, inquam, Dauidicæ stirpis Heroina progignitur: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. hinc si tela sumis & hastas, vitam cordis in occidione sensuum venaberis tibi: belluisq. homini familiaribus per virtutem oppressis, prædam incruentam tuo de sanguine reportabis.



Ludi

LVDI SCENICI
DORMITVRIO ATELLANVS



Carmen Eroparthenicum ex Q. Nouio.
Habitum
AB ATTO SOZZIFANTIO.

QVID faciam? Pupa hæc non dormit, tota inquies
Interdiu, atque internoctu, somni meri
Nil sorbillauit vnquam oculis abstemijs.
At ego ieiunus mille saturabor malis:
Ni somniosam hanc Morphei prouinciam
Pauxtim administro, Virginem consopiens.
Annosa nimirum Anna post paritudinem
Senioq. tardigenulo grandæuus pater
Hilarum me ex agro deuocarunt properiter:
Somnum vt propinem Paruulæ altis poculis,
Soporis Pincerna, Parasitus Morphei,
Quæretis ex me, opinor, qui factum id siet:
Cur illi in hanc transcurrerint sententiam.
Vt ego relictis Ephraim campestribus,
Vbi Samariæ in fonte nitidatum gregem
Agebam syluicola, artium vrbanarum iners,
In conclaue penitum hoc penitus penetrauerim?
Dicam, sed Pupa non dormit, opera mea
Iam somniasse debuit. oblitus mei
Muneris, vt vestras persequar curas? priùs
Quod ago, id agatis mecũ vos, & postuletis postea.
Cernitis, extante vt oculo per Cælum vagat?
Credo quia stella est, noctes vigilat integras.

Imò

Imò quia Sol est noctem non prensat oculis.
Verùm argumentum sum re hinc contrà licet:
„ *Oro vos conninnate mecũ; Pueræ cantemus simul.*
„ *Nocte tota dormit Sol: tota die stellæ condormiũt.*
„ *Solis est dormire noctu: syderum est interdiu.*
„ *Diua dormi, si stella es:*
„ *Diua dormi, nam Phœbus es.*
Reuertor nunc ad vos, nec parcam proloqui:
Sed tectam habete rem in claustro silentij.
Domesticũ est arcanũ, vulgò dispalescere est nefas.
Sub tectis acta haud soleo in Solem spargere:
Sed vos participo, expertus erga me silentiarios.
Cum primùm in auras edita Aurora aureum
Diem spopondit sæculo, & noctu nihil
Haurire noctis cernitur somni inscia;
Exin parentes pertimefacti, aduocant
Familiam. Ancillæ quotquot pascuntur domi
(Et compascuntur plurimæ amplis ædibus)
Præsto sunt. Callidora, quæ pensum trahit:
Staphila, quæ verrit ædes: & Scapha, quæ molit
Bromia, quæ texit: & Phidippa, quæ facit
Ventulum, & Antiphila phrygio depingens acu:
Halisca, Pardalisca cum Phanostrata
Nutrice veneranda, affatim ad cunabula
Venere, sopitum Pupam hanc centum artibus.
Hæc prima, media, postrema est cura omnibus:
Oculi vt flaccescant emollita insomnia;
Quassuque, & attrectatu contitinniunt:
Vt gratis, aut ingratijs obdormiat.
Sed vbi prima crepundia crepitant inaniter:
Omnisq. Nanna nannat infeliciter:
Seria commutant studia cum iocularibus.
Statim incipissant garrulas ineptias,
Astutè delirantes nugiuendula.

Can-

Cantillat hæc : saltillat hæc ad Psaltrium :
Altera crotalissat : tympanizat altera;
Choreæ miscellam faciunt : mox lusitant
Chytrinda, atque Basilinda, & quotquot lusibus
Lubet lubentiæ ingenuæ colludere :
Vt fessa visu perpeti in somnum ruat.
Sed cœpta risu res, in fletum soluitur
Nam virgo, quæ Solẽ in frontem expromptũ gerit:
Oculosq astris gemellos in sudum explicat,
Nubila repente facta ludum, & ludias
Procul cispellit, toruiter minitabilis,
Fabullum cum fabella, consortem & iocum,
Sororiamq. ineptiam, & fratres logos,
Artemq. inertem totam ridiculariam
Gestu seuero internecat, & spectu fero,
Ad seria mundum informat. Orientem subit
En veritas : iam fabulæ occasum petunt.
Sed Virgo ab inde capere quietem non potest,
Pertæsa, atque perosa vniuersam familiam;
Hanc in rem me aduocarunt, quippe qui siem
Ad erugandam frontem caperatam procax
Modestè, & somni plurimi; namque hinc puto
Mihi nomen impositum est Dormiturio.
Imò, quia cum per agros vasta vastitas,
Horribili vento nostrum fregisset locum,
Depauperans mea pascua, impransos greges
Somno placabam ad fistulam: at implacabilem
Sentio Pupæ huius vigiliam Hortator nihili.
Oro vos conninnate mecũ; Pueræ cantemus simul
" *Nocte tota dormit Sol : tota die stellæ condormiũt.*
" *Solis est dormire noctu : syderum est interdiu,*
" *Diua dormi, si stella es :*
" *Diua dormi, nam Phœbus es.*
Quò magis attendo animũ ad quærendũ quid siet

Quòd

Quòd omnis pereat opera somnifera hæc mea :
Hòc magis incertat me ratio confluctuans.
Fortè quia somnum mortis uterinum autumant ,
Venisse in orbem de matrice Tartari ;
Ea propter Cæli hæc Gnatula, Erebi filium
Eliminat extra ædes cordis inimiciter.
Sed monstri simile est mulier insomnis . Etenim
Inaudiui esse hanc fœminis originem.
Adamus(ille cuius propages sumus
Humani quotquot frutices ex humo sumus ,
Adamus, inquam, dormiebat (nam vigil
Tantum malum de se prodire nõ permisisset, reor)
Dum ergo dormiret(credo somniabat infortuniũ)
En deiugatis costulis diuinitùs
De dormientis femore fœmina extitit .
Si fluxit è sopore muliebre hoc genus ;
Quid igitur odit somnum hæc somnifilia?
Stirpem ex Adamo nempe, non mores trahit.
Cælum habet auctorem generis ; ex more patria
Facit, cum vigilat ; nam solùm inter Caelites ,
Extra periclũ insaniae est insomnia aeternũ vigil.
Sed dum planta haec vegetatur humano in solo ,
Sopore est irriganda aliquo, ne exareat.
Oro vos conninnate mecũ; Puerae cãtemus simul.
„ *Nocte tota dormit Sol: tota die stellae cõdormiũt.*
„ *Solis est dormire noctu: syderum est interdiu.*
„ *Diua dormi , si stella es :*
„ *Diua dormi , nam Phœbus es .*
Sed ego super satisq. stultus studeo pœnitudini:
Dum studeo noctem in oculos Paruulae huius intromittere ,
Fac etenim, ut se tenebricare incipiat sopitus meus
Sol iste : fac, vt astra conuelentur huius aetheris;
Quid expectare cordi iam possim meo :

Nisi

Nisi vmbram & imbrem & nubila mœstitudinis
Satius est ergo vt vigilet. sed nulli sumus,
Si vigilat; quandoquidem Anna, cum grādi sene,
In Agrum emandant me hominem nullo hic vsui,
Et oneri multo. sic me vtrinque vulnerat
Vigilia & somnus pariter, & nox & dies.
Sed ne latum quidem vnguem ab hinc recessero.
Fixus sum amoris clauo. agrum diuenderem
Cum vinea, & vineto, cum semente, & Seminario:
Vt mihi thesaurū hūc emerē. nunc fruniscì cū licet
Ego illū abijciā? plus nimio dormirem Dormiturio
Cum licet, & quā licet fruamur his bonis.
Oro vos conninnate mecū; Puera cantemus simul.
» *Nocte tota dormit Sol: tota die stella condormiðt.*
» *Solis est dormire noctu: syderum est interdiu.*
» *Diua dormi, si stella es:*
» *Diua dormi, nam Phœbus es.*
Sed surdo canimus. de Leonino viget
Genere hac fortassis: oculos semper nudatos habet,
Clausura impatiens. scilicet nostra hac domus
Nunquam fenestras cludit, vt Cælum attrahat
Vndique: perflata flabili semper Deo
Rimis fatiscit, Cælitem vt imbrem hauriat.
Quoties affusis circùm brachijs Ego Dormiturio
Cum sim, feci olli in gremio dormitorium.
Sed illa membris hac illac dispergitur
Tempestuosa. Mariam iurè nominant;
Neque enim Palus est. feruidū Amoris est mare,
Quod fluctus omnes frangit ad Cælum suos:
Suspirijsq, semper agitatur meis.
Quem non ego lapidem moui hic? imò vnicum,
Vt video, moui, Sysiphium; ita luditur
Opera & oliuum. sed iuuat perdere oleum
In hanc lucernam; sic noctem illustrat meam.

Ibi namque Iacob, patria dum fugit domo.
Nocte insperata oppressus componit sibi
Lapidosam è silice culcitram: huic dedens caput
Saxatilis hospes, artus languidos somno propitiat.
Tum somnorinos pergere in Cælum, gradus
Pressos gradatim pueris videt accliuibus & de-
cliuibus,
Aetate, & pulchritate prauiridantibus:
Multis refertam Solibus noctem videt.
Aliquot ex illis lapides ego nunc domi
Asseruo castè: eos comportari mihi
Iussi à Menalcha & Mopso, quòd sperem fore, vt
Pupæ suppositi vigilaces eius oculos tandem oc-
culant.
Scintillam excutiam somni è sanctis silicibus.
Et placeô superis. nempe Menalchas appulit,
Atque vna Mopsus attulit materiem lectisternio,
Bini aduenistis, bis saluete; imò sumus
Trigemini amoris vtero prognati vnico:
Si bene cœpta hæc absoluitis mecum, vt decet.
Operæ nec pretium deerit. hic lapidarium
Lectum Puellæ sternite, conquiniscite
Ad cunas. extrahatur quam placidissimè
Fasciolis tæniata, deponatur quàm lentissimè.
Rectè institistis. cernite. ô sortem auream.
Nubila dispescit fronte, restituit diem
Meus Orbi tandem Lucifer. Sanè, si ritè omnia
Meminens voluto mecum, nunc rem intelligo.
Vt nugas ferre nequijt & stultos iocos;
Sic stragula infarta mollibus & plumas leues
Deliciasq. odit omnes: gaudet asperis:
Assuescit duris. bella meditatur, reor.
Sed iam fortunam præeo fortunis meis
Ingenium durisomnū, duriculcitra exanthlauimus;

Diua intumescunt oculi: prægnant arbitror.
Somnum mox parient: imò iam se ingurgitat
Sopore abstemia hæc. Si dormit altiùs
Insomnis illa, quid ego amplius hic vigilem? Dormiturio!

FINIS.



AVRO-

AVRORAE CONSALVTATIO
Siue Laudes
DEIPARÆ VIRGINIS CONCEPTAE.



AVRORAE
Prima Salutatio Ritu Romanorum.

ORATIO
HABITA A STEPHANO PALMERIO.

QVONIAM ex antiquo Salomonis oraculo præuenire Solem oportet, & ad ortum lucis adorare: Euigilandum nobis est, AA ornatissimi, iam & Aurora ipsa nunc primum terris appulsa nostri diluculi mater, ri u Iudæorum occasum tantummodo venerantium prorsus abolito, salutanda. Virginis enim magnæ conceptus hic foetura est illius diei, quam fecit Dominus, vt lætemur, & exultemus in ea. Hoc illud est mane, quo non manna vetustæ legis aere quieto colligitur, sed recentis gratiæ nectar flante adoptionis spiritu per corda diffunditur. Hæc hora illa prima salutantium propria, qua si veteres olim rati Deos suos tunc potissimum assidere templis, figmenta numinum sub Auroram impiè salutabant, quid nos agere debeamus, qui hanc

 ipsam

ipſam Auroram,Templū Dei ſimul terris apertū, ſimul incubāte vero numine refertum videmus? Conſalutanda profecto eſt. Sed quo more?

Tres ego formas excipiendi primum luminis exortum fuiſſe reperio, quantum memini in præſentia: Vnam Romanorum cum alijs gentibus ferè communem, propriam populorum Atlantium alteram, tertiam Tyrijs hominibus peculiarem. Et primi quidem ſtatis hymnis ac cæremonijs Auroram, ceu diurni candoris Deā colebant. Atlantes vero populi quod feruidus Solis calor regiones eorum exurat, & perdat Auroram illis infeſtam diris imprecationibus compellabant. Tyrij denique in ſeruorum certamine de principatu ex anticipato matutiæ lucis aſpectu regnum auſpicati ſunt. Non deerunt igitur è Sodalibus, qui malos Dæmones, Atlantium inſtar eiulantes ad inimicæ Auroræ aduentum referant: alij etiam dominatum cœleſtis gratiæ in hāc Auroram præoccupatum more Tyriorum exponent. Supereſt vt nos communi ritu Romanorum veterum, hoc eſt laudatione, ac libatione Auroram orientis ſalutis quam breuiſſimè veneremur.

Sed nomenclatore aliquo mihi opus eſt ſuggerente nomen, quo pro luculentis meritis Heroinam hanc lucis appellem; quaſi vero non aureum ſit Auroræ nomen. Omen eſt ex candore, ac nitore fauſtiſſimum.

Salue igitur Solis mater, ac filia, è cuius etiam tanquam Sponſæ Thalamo procedit ille exultaturus vt Gygas; ſaluam te aduenire gaudeo ex noſtræ originis nocturna caligine ſine nube candidam, nulla contracta labe ſerenam. Et meri-

tò sane: cum enim Aurora Solis pictura sit; vmbram non habet; imò cum ex communi matrice rerum Oceano, qui amaritie cuncta conspergit, oriatur, dulci tamen gratiæ rore tota perfunditur, rore qui neque gelu, neque ventis, nec nisi pura vndique nocte, stellarum opera concrescit, & soluitur. Atque vt olim Luna Cæli, syderumq. regina falsò credita, à primo Solis autore Deo producta dicitur non mutilo ac decurtato lumine, sed Orbe toto plena, ac fulgenti vndique splendore collustrata, vt nocti iam tum præesset & vmbris: ita vera Cæli, ac cælitum Domina dum progignitur. tota vndiq; ita lucet ex Deo in tenebris, vt tenebræ eam non comprehendant, ita autori luminis relucescit, vt illam cum Angelo publico Cæli Caduceatore etiam nunc gratia plenam, hoc est, omnis expertem maculæ iure optimo appellemus. Quod si in primisillis voluptatis hortis rosam à spinis immunem emersisse putant nonnulli ex sapientibus: nihil minus huic Virgini, quam & Paradisum Dei dixeris, tribuendum à nobis est, vt Poetæ manus, ac lacertos Auroræ roseos, vt pedes Themidi argenteos, Iunoni candidas vlnas, & glaucos oculos Palladi tribuerunt. Nihil asperitatis, & offensionis habuisse aliquandò fruges enatas in Britanniæ regione quadam, ac proinde vuas absque acinis, mala punica sine officulis, sine nucleis oleas, & similia quæque sine scrupulis apponi Regiæ mensæ consueuisse dixerunt mirabilium rerum scriptores. Sed admirabilius illud videtur: in vniuersa scilicet posterorum Adæ corruptela venire in lucem sine vitio & offensione vlla Pupam hanc vnicam, vt

potè libamentum Regis æterni, nisi velimus ne-ctar ipsum immortalium nucleo asperum, & male materiatum salebra fuisse. Non dubitauit antiquitas Insulam Cretam à venenatis animantibus liberam credere, quod in illa Iuppiter inanis Deorum Rex venisset in lucem: verebimur nos immunem ab omni veneno, ac tabe criminis Puellam hanc celebrare, cum non in ea solum, sed ex ea Iuuans omnia Deus emerserit; quam non Insulam dicas, sed istmum potius cómittentem Maria, dum sinus eius, & Oceanum diuinitatis immensum, & nostræ humanitatis angustissimum tractum attingit.

Accepimus in reconditis fabulis Lapitharum, Virginem non minus genere quam forma regiam cum Neptuno maris Deo dicanda esset cum flammeo, impetrasse ab Nereo suo, vt in regione illa barbarorum excursionibus infesta sanctam, ac tutam se ab omni vulnere (vt olim Achilles exceptis pedibus fuit) fatali præsidio Numinis conseruaret: ea re obtenta clientes, & aulici reliqui Reginam deducentes, ac reducentes, vt Dominæ blandirentur, non tam proprio, sed adscito nomine Diuam inuulnerabilem salutabant. A mendacio conficta hæc quantum conficiant pro veritate videtis; decuit enim vt Puella nostra, quæ non falso humoris, sed Amoris dulcissimo Deo mysterijs etiam nuptialibus destinatur, in hac communi vitiorum, ceu mortalium vulnerum plaga farcta tecta redderetur ab hostibus, vt eam meritò inuulnerabilem Dominam, intactam à culpa, & vt passim dicitur, immaculatam consalutare possimus. Sacra nempe res est. in nullius ergo pri-

uati

uati bonis numeranda ; tanto minus habenda in Satanæ, hoc est, prædonis nefarij potestate. Ioui ac Plutoni vna cella dicari non poterat ex antiquissimo plebiscito: Et aram quidem cuicũque tandem vel minorum gentium Deo cõsecratã contingi nefas erat ab homine cæde polluto, vel funesta familia. Quid igitur audeat hic funestissimus paterfamilias inferorum Lucifer pollutus iamdudum funere immortalium ad altare hoc supremo Deo sacrũ accedere, tangere, cõplecti, contaminare? Quin potius nos seruitia misera confugiamus ad hanc aram salutis, vt ex eius amplexu liberi, ac tuti prauorum Dæmonum vires, & insidias irritas rideamus.


Verum quoniam ritus omnes impij ad religionem incontaminatam hæc Pietatis ara conuertit, reliquum est vt libatione aliqua ex consuetudine prisca salutationem inceptam absoluamus. Scimus nec vino, nec sanguine, sed vnico melle Auroræ libandum esse, ex præscripto veterum Hetruscorum. Non est igitur abeundum longius, non est expectandum diutius, sub Auroram, & per Auroram ipsam, quam colimus diffluit ros gratiæ illaboratus, qui non vini, aut sanguinis instar est: nihil enim cruenti mouet hic ira, nihil habet temulenti voluptas, sed melle matutino distillat in flores, & germina. verè Cæli sudor, & saliua syderum, imò verò succus liquescentis in nos Auroræ huius: Explicemus animorum nostrorum vota, ceu folia liliorum, atque rosarum, & virginali dulcedine, roscidi, non tam libationem, cum salutatione Virgini offeramus, quam nobis delectationem cum salute ex Virgine afferamus

vt eius melle renati, ac vegeti, in hac deserta bonis omnibus solitudine peregrinantes ad æternam Ciuitatem Solis. Auroræ nostræ viatico perducamur. Dixi.

AVRORAE
SECVNDA SALVTATIO
More Atlantium
ORATIO
Græca, Latinè sic habita
A IO. BABTISTA ALEXIO POLITIANO.

VIX aperto lucis Orientis theatro scenâ contumelijs importunisquotidie instruebant montis Atlantis Incolæ, & auroram ipsum diei caput, ac frontem sublucanis conuicijs verberabant. Solem enim ipsis adducebat illa, cuius vicino, ac directo ardore lacessiti plantarum incendium, exustionem camporum, corporum tabem, animorum ferocitatem, ac rabiem contrahebant. Sed longè maiori obnunciatione dirarum Auroram nostram accipiunt Stygiæ vallis accolæ furiosi, dum primum illius conceptum singulis annis tanta veneratione recoli à mortalibus vident; illam siquidem non serenum crepusculum, sed noctem intempestam; tempestatemq. noxiam incusant, cuius procel-

la flores Adonis, ac Veneris omnes decutiuntur, ac pereunt; illam Syrtim, ac scopulum, quo Comus, & Bacchus, deliciarum omnium naufragium faciunt, illam Barbaram, & efferatam arguunt, quæ tot Virgines forma, atque ætate molles, ac teneras è complexu parentum diuellat in cœnobiorum carcerem luctuosis sordibus, ieiunijs inglorijs, mancipandas. Illam publici latrocinij ream faciunt, quod principatum humani generis ab Adamo perduellionis actione damnato in Plutonis potestatem redactum summa violentia per filium eripiat, & Cælo redonet; illam nebulam, quæ vel Principi tenebrarum noctem offundit, ac tenebras; Viperam quæ Cerberum mordet, ac perimit; venenum, quod serpentes enecat furiarum; Illam pestem Cantharidum, perditorum perniciem, mortis mortem, Satanam satanæ, Auernum Auerni proclamant. Iam quid hisce contumelijs respondemus! Vtinam non nisi hunc in modum vituperare nos etiam possint hi Rabulæ.



AVRORAE TERTIA SALVTATIO

Exemplo Tyriorum

ANTELVCIVS.

Carmen eropartbenicum ad Vmbras Sexti Cæcilij.

HABITA A NICOLAO CODENO ROMANO.

Iamb. sen. octon. cum Throc. & hemist.

OPVS non est Aurora dormientibus:
Mihi verò hoc vno opere est opus, vt
Auroram conspicem. (refrigeror.
Alios meridies excalfaciat: Ego Aurora
Nam Tyrio ex ritu hic agitur; imperium datur
Prius occupanti lucis orientis iubar,
Hinc tempore intempesto mecum ipsam Vigiliam
Coegi semisomnem ad noctisurgium,
Sed cogam & alios conuasare è lectulis.
Surgite sodales? Scilicet. Non mutiunt: profunditus
Noctis medullas sorbent somni gurgites;
Quasi non Bootes iam temonem verterit:
Sed bene sit somno. Dormiant: sine æmulis
Petemus Helenam hanc. Monte de superrimo
Oculos per astra in circulum dispartiam
Spector cæli peritus; visu erratico
Vnam venabor Venerem Auroræ pronubam.
Totus oculari in Argum mihi videor: ita
Studio videndi membra dant operam Opticæ.

Natu-

Natura rerum improuida digitos decem
Articulos centum, cum sexcentis musculis
Intereapedinauit arctis artubus:
Lumina vix bina fronti introrsus abdidit:
In occipitio loculasset saltem alterum,
Tot homini post tergum insidiæ, tot vigiliæ
Vndique sunt exanthlanda. Aether sapit vnicè,
Qui tot se ocellis noctilucis imbuit.
Vtinam quot ille sub Auroræ aduentum exuit,
Indueret totidem nos sub hoc crepusculum.
Sed id solatur me, quòd tantũ lucrũ sine cõsortibus
Circumspectabo solus. Quid solus? miser,
Vtinam & duobus hisce viduatus oculis
Cernere nequirẽ auspiciũ tã pedestre, postica exiẽs:
Centum, imo bis centum, imo centum centies
Hinc illinc video procos venire pegasinis gressibus.
Ne tabula quidem Pytagoræ, ne Archita quidem
Ingens Logistica numerum sine numero
Computet indigitans per sinistram, & dexteram:
Tot Nebulonum, & tanta hic confluges antelu-
cana insistit
Gliscere ad Auroram mecum consimili via.
Quis credidisset? inferùm è gurgustijs
Erebo creati Centauri bicorpores
Lapithæ, & Gigantes non sine Dirarum agmine
Cum Pythone, & Chimæra & Hydra, & Cerbero
Venere contemplatum. Perij stirpitus.
Præstat domum redire, & cum cornicibus
Noctem edormire totam, quam mane vigilem
Cantare tantas clades cum luscinijs.
Abibo. Sed quid hoc? nil sanè hostiliter
Vt video geritur. Apparatu splendido
Instar triumphi festum hunc excipiunt diem.
Quis ille pompa inuectus amplifica Puer

Præ

Procedit medius è ſepulcreto ſtygis:
Riſũ tenere quis poſsit Vah monſtrũ ridiculariũ.
Iam Therſites, iam Margites formoſus eſt,
Præ vt hic homullus fungus abortiuus Erebi:
Caput eſt illi quadrãtal: intus latè ſpatiatur Nihil,
Effoſſus oculo Vlyſsis terebella minus
Gygas videbat Poliphemus, quam noſter hic
Pygmæus Tyreſias ſolum vaticinans infortunia,
Alta lepra ſcabioſus, illotus, niger.
Vt conquiniſcit totus acclinis? nequit
Ad aſtra tartarinam frontem exporgere:
Ita camelino terræ incumbit gibberoſus tergore.
Talpa eſt, & Talpa natus, ſorex Tartari;
Monſtrum eſt turpificatum, mera eſt informitas.
„ *Quam libenter illi dorſum dedolarem fuſtibus?*
„ *Quis quis eſt, ignotus eſt: ſi quis illum noueris*
„ *Cedo nomen, & pignus dò,*
Sed flenda in riſu medio eſt illi ad dexteram
Regina monogramma exucta ſine ſanguine
Sanguinolenta, inanima corporata ex oſsibus ſi-
ne corpore,
Funeſta infunerata, funus ipſa cum ſit. ſcilicet,
Mors illa eſt, cui ſub Lunam viuunt omnia
Triſte ſatellitium circa ſe ferruminat
Orci curas tabificas, & ſitim, & famem,
Maciem, ſenectam, lacrimam, ſuſpirium
Laborem, aerumnam luctuoſa cum lue.
Acherontis imi concit inter homines conciliabulũ.
At vlceroſus Puer hic ſpuriam hanc fœminam
In orbem inducit dextera ductor malus.
„ *Quam libenter illi dextram deſecarem acinace.*
„ *Quis quis eſt ignotus eſt: ſi quis illum nouerit*
„ *Cedo nomen, & pignus dò.*
Aegypti primogenitos percuſſos habet

Præ

Pra se in cateruas. Imo quod mirum est magis,
Tempestuosã mulierẽ vna cũ adolescẽte malacino
Agit ante currus. Illa gratis barbara,
Cordis inops, animaque vaga omnem pectore despumare Phronesim
Sitit vt Cyclopes, glscit Lestrigonum fame.
Lacte Caracalla pasta nepotatur per cadem, & sanguinem.
Minimè Romanã Roma Tulliã dilacerãdo patri.
Super aurigari diceres. Circum vibrat
Neronis ensem de Bagoa perfida
Ductum vagina regijs ex ossibus
Confecta. Vndas, & scopulos, & ferrũ, & faces
In corde gestat. Mars ferociscit minus,
Et furit Enyo furia furiarum minus,
Qua nam illa sit? ipsam dixeris iracundiam
Freno solutam. fomite incenso efferam.
Adolescens contra viola fartus, & rosa
Diuitijs, delicijs, munditijs bellè agitat atatulam
Elumbem, eneruem, exossem: nempe hic est merus
Frutex adonij Paradisi, calamus absque internodio,
Ita mollicellè fluctuat ex quolibet aura suspirio,
Tenerior est Columbulo, & Passerculo:
Per vultum implumem multa discurrit venus,
Totus olet Helenam; sponte se Paridem facit;
Oculi natant flaccentes, quorum ex humido
Dispungitur ignis, nube ceu Solem exprimat.
Capillus haud illi inanimis: gemma graui
Animatur ipso in vertice: nam pars crinium
Tutulata in altum caspitem progerminat
Adamantẽ multiflorẽ, frondes concinnãte Iaspide,
Altera coma pars calamistrorum calamitas
Vexata ferro cincinnatim reciprocat

Rota-

Rotatiles circellos, antèpendulam
Diuerberatæ frontis appendiculam.
Decet hoc Arachnæo labyrinto cludier
Cerebrum illud, monstrum insaniæ leuissimæ.
Tertia comarum partitio tenet vniuersam Arabiā
Sic olet vnguentis, sic ducente Amaraco
Descendit nunquā cæsa cæsaries auro discriminās
Ceruicem, tenerum illum cylindrum alabastrinū,
Ludit, saltillat, cātitat, comest, bibit; miser est tamē,
Vix audit, cuncta palpat, & nihil videt,
Visco impeditus, laqueo irretitus, face
Succensus, telo infixus introrsum gemit.
Sanè hic Cupido est pectoris humani fera quam mollissima.
Vt altera Ira est nostri cordis cornuata bellua.
Furor ergo hic est, & Amor, Ira atque Cupiditas.
At scabiosus noster Ganimedes Plutonis, dum cæspitat (*bra iacit*
Cruribus iniquis, Iram icit stimulo, Amorem illece-
Dans nutrimenta fomiti in duplex malum.
» *Quam libenter illi crura falce dura inciderem.*
» *Quisquis est, ignotus est: si quis illum noueris,*
» *Cedo nomen, & pignus dò.*
Verum quid esse hoc dixerim? male olidus
Bombalio noster caluitium papauere
Iam laureatus, ceu triumphales rotas,
Serpentis tergum inscendit, illius reor
Serpentis, cuius sibilo Eua dum studet,
Disrupta Mundi soluitur fælicitas.
Namque ipse Eques rostratus abnormis puer
Pomum comminuit morsu, quo depascitur
Quicquid salutis erat, quicquid erat gratiæ.
» *Quam libenter illi dentes ore toto extunderem.*
» *Quisquis est ignotus est: si quis illum noueris.*
» *Cedo*

,, *Cedo nomen, & pignus do ?*
Sed illum ex hisce teneo iam vestigijs,
Male feriatus iste Peccatum est merum
Vitians originem, quod Adæ perfido
Dente apprehensum in nos secessit denique, (tur;
Monstrũ hoc aqua lustrali illustratũ subito extingui.
Vnica medela huic vlceri est ablutio.
,, *Quam libenter Tybri toto mergerẽ immudũ canẽ.*
,, *Quisquis est iam notus est: si quis illum caperis.*
,, *Tege lymphis, & nullus est.*
Sed quid, me miserum, video? vt Orientem rapido pede petijt?
Est ibi lacuna, generis humani Palus
Veluti Mæotis, vnde cuncti fluximus,
Originis, inquam, nostræ conceptabulum.
Illò se se infert improbus: vt plaudit sibi
Lutum in cænoso gurgite? in limo natat,
Spargit Venena, tabo corrumpit locum.
Quin etiam totis retia dispergit locis.
Inhiat Columbæ Cælitum, bubo stygis.
Auroræ timeo: ah ne illam fœda cõmaculet lues.
Occidimus: exulatum spes omnis abijt.
Nam si pertransit illhac Aurora, ilicet,
Fœdè inquinata haud aperiet, puto, diem.
Quo seruitutis asperum excutiam iugum.
Verum quid hoc? Aurilla gracilenta, vagula
Animula matutina suspiraci strepit anhelitu:
Credo singultit, quoniam desperat diem.
Quin etiam præ dolore, rore perpeti
Guttatim contabescit illacrimans Polus.
Sed fallimur profecto. nam solito amplius
Volup liquescit ex cella immortalium:
Hic ros, hæc Aura plurimum diuini habet.
Nam rore strato perpluit manna insequẽs.

Et

Et tenuis Aura in sibilo appellit Deus.
Cæli sereni vultus arrisit; propè est
Alcyonis ortus. pacis Augusta oriens
Mox concipitur; fauete: imò complaudite;
Nam video iuuenem cælitem adaperto æthere,
Consulgurita noctis excidio inclytum.
Vacare terris; cuius aspectu obuius
Aurescit aer. quis nam Auroram hic perneget!
Offusa multa lucis alluuie comis
Inundat: lætitia in oculis portum tenet,
Pharetram sagittis exuit, attollit facem
Lucidior ipse: soluit auram de sinu
Magistram amandi, fertilem laudum Charim
Agnosco iuuenem: flammis erudijt mei
Cordis medullas, ossibus ignem combibi.
Amor est, Amorum Cæsar immortalium.
At secum ab Austro matronam Augustam, æthere
Prægnante natam propera deducit gradu.
Spirat beatè, viuit ambrosio halitu
Vegetata largo nectare, Amoris Assecla.
„ *Quæ sit illa non dum constat, illud vnũ dixerim*
„ *Quid quid est, Amoris est. nemo iam me amauerit,*
„ *Tanto Amori si cor non dò.*
Fulgurat in oculo duplici triplex Charis
Innocua flammis. Candor hinc pure nitens
Vultum elaborat illi opere lactario,
Pudor inde locat illi operam purpurariam,
Ita mixtim, atque insertim virtuti introlucìscit
color.
Helenam dixisses, nisi pacem stabilem daret:
Venerem ne dicas: integra est, dic Cynthiam
Sed pulcriorem Cynthio: sic gestat in vultu diem
Astrorum venia. Mose lucet mollius
Redeunte ab alto Numinis consortio.

„ *Quæ*

Quæ sit illa non dum constat:illud vnum dixerim
Quidquid est,Amoris est:nemo iam me amauerit,
„ *Tanto amori si cor non do.*
Mundo Rebeccha multiformi fingitur,
Vultu Rachelem pingit; sed fœcundior
Lia est feraci. non tot immortalium
Origo Cybele dicitur fundasse familiam Iouis,
Quota hac progenie Cælitum instaurat domos.
Zephiro sonante largitus,lauro potens
Vertigo circumlata vibratis comis
Stipat caterua gemmarum Augustum caput,
Quibus augurale pectus magni Antistitis
Veri latentis omnes vulgabat notas.
Gladio Iuditta molle succingit latus.
Non multinodem hæc Herculis clauam gerit
Sed clauum,quo superbientem Sisaram
Infixit Erebo mulier.ita bello vndique
Parata Diua, pacis assistit Deo.
„ *Quæ sit illa non dum constat.illud vnũ dixerim*
„ *Quicquid est,Amoris est:nemo iam me amauerit,*
„ *Tanto Amori si cor non do.*
Virgam Mosis fatalem diuinipotenti manu rotat,
Dotale sceptrum; cuius ad nutum fidem
Mutant elementa.Erithræ extimefacti vada
In astra ductis Alpibus vndosis patent
Substrato calle. Virga contactu leui
Limosum euerrit,solidat & salis solum
Sterilem recenti flore fœcundans viam.
Quin hæc Antistes Cælitum, dorso insidens
Quadrupedem frenat Vnicornem,noxijs
Equum venenis noxium; cuius furor
Omnis pacali Virginis cadit sinu.
Vno hoc præsente fontibus tuto bibit
Aphrica, venenis dispalatis illico:

Sed longè melius corde dispescit me o
Mavoris omne virus innocua hac Charis.
» *Quae sit illa non dum constat: illud vnũ dixerim,*
» *Quidquid est, Amoris est: nemo iam me amauerit*
» *Tanto Amori si cor non dò.*
O nos beatos. video; nec fallor, graui
Flagro immortalis luminis accisae inferum
Turmae recedunt. Fronticornis Alipes
Cornu salubri tetigit immundas aquas
Nostrae lacunae: nullus est pesti locus,
Nullus veneno: nec satis; Virga imbuit
Viam Virago hac plurimo flore aetheris.
Internitentis lacteus Cæli nitor
Non enitescit nocte perillustri, praeut
Nitet haec Nitela, thalamus instructus Deo.
Scarabaeus ille noster infecta re repedauit Domũ
Piscator male retibus irretitus suis,
Buccisque fœculentis secum mussitans:
Sero sapimus, inquit, anteuertit Gratia.
Hinc ego rem intelligo. Diua, quae tergens locum
Latè parauit Numini dignum thorum
Gratia, qua nil est gratius à Deo, fuit,
Illa strenua flexanima Verticordia.
Hac prior Auroram assequitur: illi ergo vnica
Lege Tyriorum Mundi regnum contigit.
» *Surge nunc Aurora surge, tuque Victrix Gratia,*
» *Posside, per me licebit, principatum cordium.*

LAVS DEO.

FESTINATIO VIRGINIS ELISABETHAM INVISENTIS

Latinè, Græcè, oratoriè, ac poeticè pertractata.



VIRGINEM A FESTINATIONE *DEHORTABATVR*

STEPHANVS GRADIVS RAGVSINVS.

PATIEMVR igitur Virginem, quæ flos est Virginum, ex Vrbe Nazareth, ipsa florum patria subitò nobis ereptam in syluestria montana recedere? patiemur hoc, inquam, nos, ò sodales, qui nunquam detonsis, diffusisq; semper nostrorum erga illam affectuum quodammodo crinibus, & ipso ætatis flore pietati Partheniæ consecrato Nazaræi Virginis huius sumus? Christus, hoc est, bonorum omnium copia, ipsum Diuinitatis patrimonium, quo sumptus omnes mundi sustinet Auctor gratiæ, atque naturæ, Domi-

Dominæ visceribus nupero satu reponitur; nos thesaurum simul allatum, simul ablatum auolare aliò tolerabimus? Hanc si virtutem patientiæ vocatis, sodales, ferocia mihi præclarior est. Hàc si normam prudentiæ facitis, malo desipere contumaciter, quam sic stolidè sapere. Abeuntem igitur Virginem vnus pro omnibus ita compellans, quantùm potero, retardabo.

Mirabar quorsum euaderet sermo ille prolixus Angeli tecum, ò Cælitum Augusta mirabilis. Et primò quidem veniebat in mentem, vt olim Abrahamo statim à diuina colloquutione egrediendum fuit de terra, de cognatione, de domo sua, ita cum primùm in diuini oratoris veniſti colloquium, è paterno solo recedendum tibi fuisse. Verum contra se res habet, nisi me fallit amor præsentiæ tuæ. Oppidum enim, quod reliquit Abraham ex impura Caldæorum vicinia profanum erat: Ciuitas vero, quam deseris, Nazarenorum est, separatus, inquam, à turbis contaminatis locus, totius Palestinæ delubrum, sanctissimis religionibus consecratum; vt si alibi habuisses domicilium, nunc enimuerò plena Deo, in hanc Vrbem Nazareth, hoc est in habitationem Deo sacram, recipere te magnis itineribus debuisses. Sed fortasse festinatione præpropera interius aliquod penetrale Numinis, Hyerosolimam vsque petis, vt propiore gratia tibi Deum adiungas, actura gratias in augustissimo templo Salomonis: quasi tu post angelicam congressionem Propitiatorium facta ipsa non sis, quæ non Legis tabulas seruas, sed ipsum possides Legislatorem, Et cursores quidem in stadio summa celeritate properant, sed, vt palmam

mā adipiſcantur: obtenta enim meta, ac præmio, conquieſcunt, omniſq; natura fine percepto intermittit actionem, ac motum. Tu verò, cum ex diuino conceptu, bonorum omnium metam attigeris, palmamq; tuleris felicitatis immenſæ, quid curſum inſtituis, & quò volas? Aquila enim volat ad eſcam, ſed ea comprehenſa conſiſtit: tu cibum, quo Mundus omnis alitur, viſceribus iam tenes, & auolas? Nemo te profectò inſequitur. Satis citò, ſi ſatis bene: breui moriuntur herbæ, quæ naſcuntur breui: robuſtiores quippe arbores efferuntur tardius; & ſicut vulnus dilatione redditur inſanabile, ſic remedium, quale tecum habes, immoratione reddit optimam ſanitatem. Sed Zacchariæ paruulus infans tua iam dudum eget opera ægrotus in vtero: accurrat ad nos Eliſabeth, quę Prodromum geſtat in ſinu: cur munus illius anticipas, cur pręcurrimus precurſori? Illa quidem anus effœta Ioannem occluſit gremio ſagittam electam, qua nihil fertur velocius: feſtinet ergo. Tu quę Chriſtum, hoc eſt catulum Leonis aſcenſurum ad predam, viſceribus accepiſti tuis, lentè progredere: tardè ſuccreſcit ille, quid properas? quęcunque egregia futura ſunt, ſerò proueniunt. Ac ego nunc ſerò tandem feſtinationis tuę cauſam intelligo: nimia familiaritate cęleſtium, quę perennibus aguntur curſibus, motibuſque celerrimis, humanæ tarditatis oblita in mores altiſsimi ętheris degeneras; ſane ſi in ſublime raperis imitatione factorum, vitęque tuæ ducem, & officiorum magiſtrum vnum Cęlum attendis: circumſpecta, queſo te, pellucentem æthera fortibus oculis (ſi tamen oculos à Sole,

quem

quem circumfers tecum, potes ad vulgaria hæc astra deijcere.) videbis orbes illos, astrorum sedes volubiles, quò sublimiores sunt, eò tardiores ambitus circumflectere. Cum ergo supremum fastigium nunc primò teneas sanctitatis, & gloriæ, infra quam curricula sua peragunt virtutes hominum reliquorum, quò repente euolas, quid te vniuersam profundis? cunctari maximè omnium debes, sydus minimè erraticum, & cynosura mortalium. Sed, vt video, non ad stellatorum corporum disciplinam erudiris amplius: mentium empyrearum fingeris institutis, ac moribus: ex quo enim te postremo sermone imbuit diuini Caduceator amoris, stare loco non potes; meram combibisti naturam Angelorum, quos ideò nudos, & expeditos, alatos ac volucres pingimus, quòd Deus illos vt præcones suos, ac nuncios instar ventorum, atque flammarum mobiles, semperq; actuosos effecerit. Verùm aut ego desipio, aut quid tandem sapere te docuit hic magister? Neque enim tu administra Cæli, partes nuncij, aut tabellarij suscipies ex conceptu Numinis, imò verò Domina, & matrona Cælestium, Dei nupta, & futura Genitrix cum sis, naturam non angelicam illam volaticam, & inquietem sapere te decet, sed planè diuinam, hoc est maiestate, & lenitate plenissimam. Deus enim ille, qui fecit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem, de se cum Elia locutus, voce delata per spiritum grandem, flammeumq; dicebat: Non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus, non in igne Dominus, sed in sibilo auræ tenuis: illius opinor, auræ, quæ concluso in horto per flores

rosarum, & lilia conuallium spatiatur semper, idest procul à Nazareth volitare non solet. Verùm si tandem Vrbe Nazarena cedere decretum est tibi: vide quò velificeris, auræ huius aspiratione tam valida. Iuga montium petis inculta, atque deserta, itinere longo, vario, aspero, saltuoso, prærupto, infesto etiam latrocinijs, puella cum sis, ætate mollis, viribus imbecilla, peregrinationibus insueta, ex pudore tarda, ex conceptu etiam timida ne quippiam damni sequatur. Quid si medijs ex alpibus, montibusq; ceraunijs exul postliminio Patriam repeteres: patria per tot discrimina, talibus incommodis, tanta festinatione peteretur? Venit hic etiam in mentem nutrix illa præpropera, quæ filium Saulis Regis educabat, hæc enim cum saluti aliquando consulens, cursum via deterrima, & celerrima contentione teneret, puerum altero pede lædens claudũ reddidit, & Claudium appellauit. Nihil tale quidem metuendum nobis est in præsentia; infans enim, quem tecũ vehis, vel ipsum genus humanũ vacillantibus pedibus semitã virtutis ingressum firmabit ad cursum. Tibi potius cauendũ est, ne eũ cæli satu recenti grauida sis, quassata subitis motibus, locũ des aliquem ægrimoniæ, atque fastidio. Sed fallimur: onus tuũ leue est, salus est ipsa omnem leniens ægritudinẽ, mera iucũditas efferuescens, mera festiuitas efflorescens, vt ipsa abeundi festinatio nihil aliud sit, quàm sensus æstuantis primò voluptatis, exultatio lætitiæ gestientis. Verùm hæc, vt ita sint bellè, ac præclarè, tamen adhuc lentè procedendum videtur, vt quò magis beata iam es, eò minus efferri animo videaris.

CVM VIRGINE
DE FESTINATIONE
DELIBERABAT
OCTAVIVS CVSANVS MEDIOLANEN.

Oratio Græcè habita Latinè sic reddita.

ALII festinanter de festinatione decernant: mihi consilium est consultare: neque enim citius offerenti pretium mens humana venditur: Sed si venales sumus, vendamur quamplurimò. Ea propter intus, & in cute dubitandum est: dies quippè certa speratur, si prius vacillet oriens incerta luce. Sic Proteus multifariam titubásse dicitur in fallacibus simulacris, vt in vna deinde consisteret veritate. Igitur ad æquandam prudentiæ trutinam reuocemus momenta contraria rationum, neque cedamus à libramento, donec Veritas præponderans vel ad quietis centrum nos deprimat, vel ad itineris festinationem attollat.

Pulchra dicitur Nazareth, quæ relinquitur, sed potens est, ac regia Iudæa, quæ petitur. Et obtenta quidem palma cursores desistunt: sed cum ad ciuicam coronam seruandus in vtero Ioannes inuitet nos, opus est venire, videre, vincere. Volant aues, vt capiant escam, sed cibo quoque recreatæ volitant; plantæ etiam atque animantes brutæ quò robustiores sunt, eò tardius enascuntur; momento tamen exe-

ritur hominis animus immortalis. Et cælestium sanè orbium Superiores quique segnioribus feruntur circulis, sed supremus diurna conuersione celerrimus est. Quid de mentibus dicemus empyreis? Cherubim sicuti bouinis insistentes ad Arcam pedibus tarditatem notāt, ita pennis insigniti quaternis celeritatem docent. Deus ipse, qui per sibilum auræ tenuis Eliæ loquebatur Antistiti, legem Israelitico populo tulerat per tonitrua, & fulgura: modò quiescit in accubitu suo, modò volat super pēnas ventorum: quamuis enim crura sponsus habeat columnas marmoreas, similis tamen est dilectus capreæ, hinnuloq; ceruorum. Si subita per valles festinatio Miphibosethum debilitauit pedibus, caput Mosis auxit cælesti lumine mora, quam habuit in monte cum Deo. At Ioannis munus est præcurrere: eundum igitur est, vt emittatur è carceribus. Denique si prætexas iter longum, & arduum; quid amore nudo, pennato, volante velocius? quid amanti denique difficile sit? Illud enimuerò deliberanti difficillimum est: momentis rationum ita paribus ferre sententiam. donec igitur timor, aut amor litem adiudicet, consultemus.



VIRGINIS FESTINATIONEM ADORNABAT

FRANCISCVS MARIA RHO' MEDIOL.
COSMETA VIATORIVS.

Carmen

EROPARTHENICVM MARIANVM

Trimetri heroici cum trochaicis, canonici omnes.

CONSVLTVM satis hoc iam. nunc facto est opus: aureo
Sic puncto decreuit amor properare necessum est.
Ite leues animæ, verni suspiria mundi,
Et Zephyris aptate diem. mitissima Diuum
Aspera nimborum, Solisque pericula tentat,
Conspirate habiles, & Solem, & nubila contra
Verum ego quid auras moueo? quid ventos ago
Male feriatus Aeolus? partes meæ
Fuerant Puellam cælitum ineuntem vias,
Nauigium olympi plurimo afflatum Deo
Ornare serto, & carbasis leuissimis,
Accingere, inquam, Virginem viario
Peplo, cothurno, pallio, cinctu, mitra
Vt pulcra, tuta, diues, impigra prouolet.

Liber.

Libertus etenim Virginis magna in domo
Caſtè educatus, ſtirpe de venundata
Genitoris Adæ, viuo cum vernaculis
Tinctura eàdem ſtirpitus quondam improbis.
At vbi caduco numine in Diuæ ſinum
Preſsit tribunal gratiæ pupus Deus:
E ſeruitute liberos miſit manu
Parthenidas omnes accolas, cæleſtium
Ritu, & Quiritum retulit in cenſum ætheris
Ego tamen aliam ſeruitutem hic ſeruio
Mancipium amoris ſponte captum ex hoſtico:
Placent cathenæ, vt alliger Dominæ magis.
At nulla cernis vincula, illæſas manus:
In corde geſto compedes, ibi verberor
Virgis amoris. equuleumque innoxium
Ibi patior, ibi geſtio in Gemonijs.
Sed vna mihi data cautio in præſentia eſt,
Vt properè adornem Virginē ad curſū incitum
Imò ad volatum: tanta feſtinatio
Gliſcit medullis; fulmen excepit, reor,
Satu recenti numinis Virgo hæc parens.
„ *Fulmen illa hauſit profectò, ſata amoris flamine,*
„ *Inde montes quærit, aulā flaminūque, & fulminū.*
„ *O Gygantū quas ruinas cerno in vno hoc fulmine;*
„ *Nos quid ergo! flabrū amoris corda ſi circūſonat,*
„ *Si genus ſumus tonantis, filij tonitruum,*
„ *Fulminis matrē ſequamur per procellā, & turbinem.*
Ego verò vbi ſum! celeritatis hic furor
Inſtar procellæ, ac turbinis mentem è ſinu,
Memoriam & omnem muneris noſtri expulit.
CHRISALE ego te compello phrygionū optime,
Texternæ amoris Dædale, & cæli aurifex,
Deprome pallam hic ſplendidam, in qua flexile
Aurum imbuiſti plurima argutum nota;

Regina charitum Caritas aurum dedit.
Ibi vernat hortus arte conclusus tua,
Cupressus ibi montana, campestris viret
Oliua, picto platanus assurgit vado,
Libanotis astra cedrus exaquat comis,
Dotale sponsi lilium emergit rubis,
Inter sorores floreas hiericuntia
Maior minores opprimit violas rosa,
Vt Domina reliquas Virgines vultu domat.
Quacunque Salomon pronuba cecinit fide
Amoris argumenta diuini, omnia
Duxisti in aurum sericas inter vicès,
Vt crispula vndat! fulgidè opere, atque pretio
Saturata, textu varia, fastu regia est.
Haud aliter cum prima suistipendia amoris
Expleret Salomon peregrina Virgine captus,
Ps. 44 *Adstitit à dextris sponsi Regina superbi*
Vestis inaurata vario circundata limbo,
Natales oblita domos, Regisque potentis
Iussa petens, animum bibulas exprompsit in aures.
Vnum male omisisti, opinor, Chrisale,
Pingere acu amoris fertilem historiam mei,
Quo deperire hanc Virginem occepi furens
Sanè, atque sartè. longior sed Ilias
Foret illa: tempus postulat, alias tibi
Dabo exarandos cordis annales mei.
Prome interim istam purpuram, Agni sanguine
Lotam, frequenti textilem palma, auream.
Dignam triumpho: certa nam victoria
Nostra hac Amazon vadit, Elisabet sinus
Exhibet arenam, perduellis Tartari
Presto est, Ioannis corde, ceu curru insidet
Sed Fulmine hostem Virgo detrudet loco.
" *Fulmen illa hausit profectò fata amoris flamine*

" *Inde*

„ *Inde montes quarit,aulã flaminũque & fulminũ*
„ *Fulminis Matrem sequamur, filiſ tonitruum,*
CESTIE volo te adesse confestim mihi
Caelator admirande, qui leni manu
Euisceras metalla,gemmas vulneras,
In arte dura delicatè barbarus,
Ades,oro,cestum, CESTIE, affer asperum
Signis: fluentem Virginis firma sinum,
Cælum,inquam, adacto cinge Zodiaco meum,
Quod ego pererro stella non exorbitans
Noctu,diuque, cingulum,redde ocyus.
Cui fabricando sculptilemque,& scalptilem
Materiem adornat Castitas,vna hæc potest
Rapere subacti numinis amorem magis
Quam cestus olim Veneris infensum Iouem
Dicatur allexisse cytheræam in facem.
Hic non Gygantum pugna squammatos Deos
Vibrat in achate sectili, aut Amazonum
Crustarius triumphus efformat graues
Zonas colorum transitu mirabiles.
Vt Palladem olim Phidias pupugit suam:
Sed pacis argumenta ventura mouens Ps. 67
Frequens Columba plumulis argenteis,
Dorsoque fulgens aureis palloribus Gen.8
Volat subinde smaragdinum supra mare,
Ramosque oliuæ gutture ostentat pio.
Haud aliter rigidum cum pacaturus olympum Exo 39
Intraret pauidus torui Augustale Tonantis
Fulgidus in cidari, limbisque sonantibus Aron,
Ductilis in girum plumari emblemate pictus
Baltheus vrgebat medios ad pectora cinctus;
Strenua non mulier, metris celebrata vetustis Parab.
Talia permutans Cananæo tradidit vnquam 31
Cingula, diuitias cum prætergressa sororum

Transfigeret patrios peregrina merce labores.
At hic ministra numinis Virgo ferax
Minimo datura Cælitum merces nouas
Longo meatu mancipem agnatam petit
Complura pondo gratiæ secum ferens.
O huius vtinam cara mercimonij
Vsura tangat me aliqua: in aurum soluerem
Animi medullas, nundinaturus mihi
Vel fænerato corde tantillum rei.
Quanquam Ioanni quicquid est lucri, obtigit,
Thesaurus illi splendet, illi ponderat.
Sed huius auri splendor è Dominæ sinu
In nos refulget: imo fulgureum in modum
Euibrat artus. an (velut sermo tulit)
Et fulmen aureo igne conflari hic putem?
» *Fulmen illa hausit profecto fæta amoris flamine,*
» *Inde montes quærit aulã flaminũque, & fulminũ;*
» *Fulminis matrem sequamur filij tonitruum.*
PHANISCE nunc te appello. non audis? cedo
Hyacinthinum mihi pallium: vt succinctula
Virago circum candidos humeros tegat,
Geminam & papillam, cuius vbertas famem
Ipsam Tonantis pascet. Ingennuus Pudor
Custos honesti textilem massam obtulit
Operi patrando. cæruleus quantum placet
Color ille? pluuio sole guttatam iridem
Ex parte signat, Virginem plenam Deo
Serenitatis, cuius in vultu furor
Magni Tonantis detonat, cuius nitor
Pacem per vlnas matris annosæ vehens
Spondet Ioanni sæculum innube, aureum.
Gen. *Haud aliter formosa pij Batuelis origo*
24. *Stirpem Abrahæ Rebecca thoris habitura superbis*
Vt procul inspexit lustrantem passibus agros
Egre-

Egregium iuuenem cara sibi lege iugandum ,
Pallia purpureo superegit caerula peplo ,
Mox vultu propiore virum inter vota trementem
Exhilarans, nubem ex animo disterminat omnem.
Sed cordis vtinam nubila serenet mihi
Haec Iris ; vtinam bella restinguat : meas
Nam castra dudum mouit in venas amor,
Meque innocenti praelio inflammat pius .
Non sic pyropus ille, quo Virgo plicans
Ceruici adhamat pallium, ardescit palam:
Vt intus ardet cor, merus carbunculus.
Verum pyropus clarior gremio lătet
Dominae, per artem flantis iuclusus Dei.
Vbi primum in altis montibus refulserit ,
Praestringit oculos hostium iam fulgurat.
„ *Fulmen illa hausit profectò faeta Amoris flamine,*
„ *Inde mõtes quaerit, aulă flaminũque & fulminũ:*
„ *Fulminis matrem sequamur filij tonitruum.*
SANDALIO ades huc, doctus ingenuos pedes
Ornare bullis, lunulis, crepitaculis,
Stellare soccos fulgidis armillulis,
Stellis & armillare consulgentibus.
Argento adacta tortili inuolucula
Sparsim frequentans aureo internodio.
Affer choturnos expolitos , impigros
Peregrinae amanti. ciuis haec caeli fuit
Captiua nunquam, nudipes ferri nequit.
E Melis ergo pelle calceolos leues Ezech 16.
Expone, quos colore cyaneo indicos
Arabica margarita baccatim asperet.
Gemma illa puerum signat in Diuae sinu
Caelestis ille congruit pedibus color.
Nam supera scandunt feruidi , caelum petunt Gen. 3.15
Stygij Draconis capite sed presso petunt.

Iudit. *Haud aliter Viduae monstrũ admirabile formæ*
10. *Astutæ Iuditta ferox pietatis in armis ,*
Factitias vibrata comas, cincta beatas
Lætitiæ tunicas, nardo irrorante papillas,
Illustri syrias penetrauit fraude phalanges .
O quantam illecebram passu crispante cothurni
Spirauere Duci? Syriæ de stirpe Gygantem
Iam phrygium fecere Parim : iacuit resupinis
Corporibus . vigilans contra bethulis Amazon
Cæsariem complexa, caput dispescuit ingens .
Inde triumphalem cum vertice sustulit harpen.
At hic Virago nupta desponso Deo
Viduanda nunquam, noxium Ditis caput
Ioannis è ceruice depellet ferox :
Gen. 3 *Occuluit ensem flammeum sinu intimo .*
Qui non repostis claustra Paradisi tegit .
Flamma excubante : sed supernas in domos
Iter impeditum luce fulminea expedit.
„ *Fulmen illa hausit profecto, fœta amoris flamine,*
„ *Inde mõtes quærit, aulã flaminũque & fulminũ: ,*
„ *Fulminis matrem sequamur filij tonitruum .*
VMBRILLE mentem aduerte, paucis te volo
Qui Solis æstum nube complicatili
Lenire nosti, profer actutum mihi
Vmbraculum versatile, æstiuæ vt facis
Demitigare Diuæ contumaciam
Cicumuoluto machinamento queat .
Quamquam illa solem corde signifero gerens
Illustriorem, forte opacabit diem .
Certè Manasses , ille Iudittæ caput
Iudit. 8. *Dum manipulandis messibus animum locat,*
Phœbo per æstum seminante incendia
Communé fatum messuit: mortem intulit
Internecina luce viuentum Pater :

Contra hic beata messe fasciculus grauis Cãt. 1
Inter papillas commoratus affatim
Lectusque gremio Virginis magnæ latet :
Innoxius ni fallor effuso æthere
Sol obuoluto lumine infantem colet : Gen.
Namque ipse quondam fronte veneratus pia 37.
Sopitum Ioseph, iura regnandi obtulit
Diuinus Auspex. quicquid hoc tandem siet,
Cauto est opus. nunc ergo propugnaculum
Salutis æstiuæ affer Vmbrılle ocyus
Vt quæ alio ab igne iam calescit plus satis
Bona Diua, nostro more non exæstuet Exod.
Haud aliter scopulos Arabum cum Mose magistro 13.14.
Cara Deo premerent duodenis agmina turmis
Aethere siccato pluuijs arsura fauillis :
Ecce tibi medio fuscata in Sole Columna,
Nubigena superum digito compactile donum
Astitit & tonitru sterilis, nec fulmine fœta
Æstiuumque diem nocturno albore fefellit.
Sed fallimur profectò : non vmbras amat Apoc.
Trabeata Sole mulier : imo operam malè 12.
Perdidimus omnem : nempe nec nostros volet
Induere cultus. cerne : stellarum aureo Apoc.
Mitrata serto est, textili & luna leues 12.
Pedes reuinxit, Sole tunicata vndique.
Quid agimus ergo ? summa votorum siet
Posse fugientem persequi, & si opus fuat,
Velamina hæc conuehere mutatoria.
Sed illa subiti terga ceu Zephyri premens
Volat per auras impetu acta fulminis.
Ego hic relinquor : facta voto haud consonãt.
Vt modo volebam per procellam, & turbinem,
Aquilone, & Austro, Zephyro, & Euro prõptior
Volitare ? Nunc vel plumbea testudine

Sum tardior, quanquàm animus vbi; nunc
est meus?
Restant pedes: mens nulla. nempe abijt volans
Domina auolante. taceo. nam secum illico
Si cor abijt, consistere hic lingua haud potest.

F I N I S.



SVPER

SVPER NATA DEIPARA VATICINATIO SACRA

Latinè,& Græcè,oratoriè, ac poeticè pertractata.



SVPER NATA DEIPARA

Consulebat Sibyllas more Romanorum

FRANCISCVS ALOYSIVS COLVMNA.

SI nouum aliquod Prodigium diuinitus factum apparuisset in terris; illud solemne veteres Romani seruauerunt, vt ex Senatus consulto Antistes quindecim virorum aliquis vnus libros adiret Sibyllinos,&mox Patribus,& Quiritibus obseruata oracula renunciaret. Ostentum profectò mirabile Ioachinus & Anna genuerunt prægnante nisi fallor Aethere vniuerso: nata siquidem Puella cernitur tanto lumine circumfusa,vt solis personam,& Lunæ cothurnos,cæliq. Thiaram induisse videatur; neque enim coloratam, vel inauratam solum extrinsecus; sed fusam, expressam, & solidatam Sole

per

per corpus omne distributo dixeris; calceatam etiam soccis Luna plicatili bracteatis, stellisq. plexis, & coram Sole fulgentibus cincinnatam. Quid sibi tandem vellet cælo tam carum, nobis tam dulce portentum, iussus ego sum Sibyllinos codices ex meorum sodalium consulto cōsulere: & nunc reuersus omnem peractam rem, si fas, & tutum est mortali voce, diuina sensa vulgare, libentissimè ad vos refero, vt quoniam oracula flexiloqua sunt, & ambigua, super ipsa diuinatione diuinemus simul.

Cliuo igitur Capitolino superato, quasi accepto augurio triumphandi, subterraneam Prisci Tarquinij cellam aggressi, expugnauimus arcam lapideam, ex qua volumina conquisitis vndique triū Sibyllarum versibus descripta cum primùm aperirentur, incidimus in Cumanæ Phœbadis vaticinationes texto linteo comprehensas. Hæc est Anus illa fatiloqua, & hospita incognita, quæ sub ipsum Olympiadum exordium noua Olympi secula vaticinans, libros nouem Tarquinio venales ingenti pretio obtulit, cumq. ob irrisionem binam sex libros incendisset, instans incendio reliquorum, tactus Aruspicum religione Rex, nihilo minore pretio mercatus est reliquos tres, quàm quod pro nouem integris persoluisset. Sed nobis, è tribus voluminibus cum implorato numine sortem animo collinearemus in modo natam infantem, vnus incurrit in oculos versiculus ille percelebris

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo
Iam redit & Virgo. Quem sanè versum nescio quo pacto castigatissimus Poetarum

Virgi-

Virgilius in palmarem adulationem lapſus à veritate tranſtulit ad voluptatem, mentitus noſtræ Matris gloriam in filio Pollionis, euentu tamen infeliciſsimo. Sed quàm feliciter cadat in Virginem nouus hic ordo ſeculorum ab integro, non ſatis percipio; cum ſeries temporum certa iam apud omnes nationes habeat & nominis, & enumerationis exordia. Hebræi enim ſicuti ab Orbis molitione prima, tum à generali diluuio, & mox ab Abraham exitu de Caldæis, antiquiſsimas Epochas diſtinxerunt; ita poſtmodum ab egreſſu ex Aegypto, & à lege ſancita per Moſem, tum à templo fundato, mox à reparato renouantes Aeram, ſeculorum ordines diſtribuunt. Romani verò non ſolum cum Varrone tria illa diſcrimina præcipua, humani generis ortum, prioremq. Catacliſmum, & accuratiſsimam ſeculorum notam, Olympiadas, receperunt; ſed ad vrbe deinde fundata, à libertate condita per Brutum, à Cæſaris imperantis correcta Solis, ac Lunæ canonica tẽporum teſſeras partitas habent; Non ergo ſpectat ad natam nuper infantulam nouus hic ordo ſeclorum. Verum, ſi non ſine impetu diuum ſonuerunt carmina Sibyllarum; cum in partu verſemur, & agamus de Virgine, profectò non à lege Moſis amplius, non à templo fundato, non ab Vrbe libera, non ab imperante Roma, ſed à partu Virginis quocumque tandem modo futurum id ſit, lege nimirum Moſis abrogata, diruto Sinagogæ templo, vrbe Regina religionis veræ iugo ſubacta, à partu inquã noſtræ Virginis incipient Anni & ſecula numerari: imò ipſa fælicitas temporum, & fælicita-

cita-

citatis æternitas exoriri, Sibylla nostræ infantulæ concinente

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.

Sed nescio quid maius omni seculorum ordine nascetur ex infante nata, si satis intelligo Sybillæ alterius responsum, quod præsto fuit nobis, dum secundum inspiceremus codicem oraculorum. Hæc illa fuit Herophile, quæ Sibyllarum antiquissima stirps, & principium, originem æterni Verbi è saxo Delphico resonabat, Helenamq. in bigamia fæcundam solum excidijs Asiæ, atque Europæ vaticinata, puellam nostram cum virginitate fertilem publicæ salutis asseuerauit in carmine

Virgineo dabitur partu stirps magna Tonantis.

Vnus hic versiculus, Deus immortalis, quantam fælicitatis materiem digerit, quot miraculorum legiones nobis euoluit. Mirum enim fuit è viro cælibe, deliciarum in hortis, oriri fœminam parentem omnium, qui nascerentur in terris: at nos è fœmina Virgine quæ conclusus etiam dicitur hortus, oriri videbimus virum parentem omnium, qui nascentur in cælo. Cum suprema forma virginitas quando cohæret? & tamen non cum pulchritudine solum virginitas, sed gloria virginalis cum fæcunditate, imò & cum humanitate diuinitas componitur in hoc carmine: cuius argumentum, & persona Deus est rerum omnium conditor simul, simul conditus ex massa corporea concretionis virgineæ, subactus etiam ærumnis mortalium. Diuino capiti ceruicem iungit humanam quodammodo poesis hæc, nec irridenda tamen, sed admiranda magis, ac magis. Virginitatem enim

ange-

angelicæ naturæ fororē eſſe noueramus prius, ſed parentem etiam fieri Numinis cognoſcemus in puella, quæ canitur. Cuius fæcunditas pretium faciet cœlibatui, odore famæ virginalis ſupra quam cogitari poſsit ſuauiſsimo. Filio ſiquidem ex illibata Matre naſcituro non frangetur alabaſtrum, & vnguentum effluet, ad numerum ſcilicet Sibyllæ canentis

Virgineo dabitur partu ſtirps magna Tonantis.

Verùm huius vnguenti virginalibus odoramentis confecti ſuauitas non ſolum in nos effluet, ſed vbique gentium, atque locorum vel in ipſa ferarum pectora benignitatis, ac pacis halitum afflatum dicitur à Sibylla tertia, cuius monumenta poſtremo recognoſcebamus loco. Hæc eſt autē illa Demophile cognomento Erithræa, quæ Babilone orta occaſum Babelis cecinit, extremo Dei generali iudicio decantato. Hæc quæ bello Troiano prior pacem ſolidam animis quantumuis hoſtilibus regnante noſtra Virgine promiſit his verſibus

Lætari nunc Virgo decet. te Præſide pacis
Accumbet tuta Agna Lupo, ſociabitur Vrſo
Caprea, nec magnos metuent Armenta Leones.

Venit hic in mentem viridarium illud voluptatis, antequam Pater Orbis terrarum manu ad pomum vetitum porrecta feneſtram pateſeciſſet poſteris ad nequitiam. Tunc enim brutæ animantes vno quaſi partu procreatæ, & fælicis illius regionis vbertate, velut eiuſdem nutricis mamma collactaneæ, tam æquo, ac modeſto iure æuum agitabant aureum in Adami verba iuratæ, vt ex tanta colluuie hoſtilium animorum nullum facinus illiberale prodierit, nulla

ſuſpi-

ſuſpicio diſcrepantiæ. Nunc igitur ſi noſtræ Virginis ad nutum, atque conſpectum, feræ ipſæ nec rapaces vnguibus, nec dentibus mordaces, nec virulentæ venenis eſſe dicuntur, ſed primas leges modeſtiæ, & priſcas rationes officiorum rurſus edoctæ pacem agitare communem: quis non videt puellam hanc, quia par eſt innocentiæ parentis primi, futuram etiam matrem familias renouati generis, quæ in aureum concordiæ ſeculum, beatumq. domicilium fælicitatis, reuocabit poſteros ab ætate hac turbulenta diſsidijs, & ſceleribus luculenta. O nos igitur Sibyllarum etiam carminibus fortunatos quibus ſi rurſus aperitur aditus ad vitæ immortalis hortos flammeo Cherubini gladio cuſtoditos, quid hic otiamur inani circuitione verborum? recto potius greſſu virtutum, Ducetanta Virgine, properemus.



SVPER NATA DEIPARA

Consulebat Rationale Iudicij more Hebræorum.


D. FERDINANDVS CARAFA

Oratio Græcè habita, Latinè sic reddita.

ALIVD ex alio Prodigium: neque enim vno bonorum stamine tela texitur fælicitatis nostræ, sed plurium operũ admirandorum calculo vincit septem mundi miracula Virgo mirabilis. Etenim vbi super ea nuper exorta maximum ex Aronis genere Antistitem consului, quę meę partes erant: pectoralem ille tunicam quadripartito gemmarum fatidicarum ordine textam ceu rete gemmatum expiscandę veritati, sacras, inter preces explicuit. Tum verò smaragdus primi ordinis gemma tertia, cui nomen Tribus Iudę legebatur inscriptum, mutata serie mediũ occupauit locum, tantoq. fulgore viriditatis collucere, ac vibrare cepit, vt lapilli ceteri pregrauati lumine & virore perfusi, in orbem sese vltrò disponerent, lucem smaragdinam ceu reginam coloris ac pretij coronantes. Hęc enim vero miratus Antistes: Smaragdus inquit, stirpem Iudæ, hoc est Puellam hanc regij sangui-

nis

nis notans quid portendat intelligo. grata enim oculis Gemma, qua nihil cernitur libentius, & quæ scalpro nunquam læsa sensus impuros pellit ex animo, virginitatem Heroinæ huius æternam insinuat; neque enim humana opera scalpitur illæsa viriditate pudoris; & oculos Dei conspiciendis nostrorum scelerum sordibus veluti fatigatos oblectat. Illud non perspicio satis, cur nimirum cæteri lapilli reliquum Abrami populum significantes tantum obsequium deferant Smaragdo. Virginitatem enim execrantur potius, quàm in honoribus, vel amoribus habeant Hebreæ Mulieres, vno sobolis expectatæ fructu beatæ. Hæc dum Mysta loqueretur: ecce tibi Gemma Sardia, quæ principem obtinebat sedem aura spirante medium in locum demissè Smaragdum blanda circuitione complectitur; gemma, inquam, illa, quæ cæteris rubet ardentius Amoris index, cumq; ceræ commisceri non soleat, imaginibus obsignandis aptissima iudicatur. Ad hæc Sacerdos exclamans. O amorem, inquit, flabilis Dei sine exustione flagrantem, & cum virginitate fæcundum: Aeterni siquidem Patris Imaginem signabit in vtero huius Virginis non permixtus. Atque hic quidem miraculo defixus hæsit Antistes; nos verò dignè loqui de Matre simul ac Virgine, illo obmutescente, non possumus.



SV-

SVPER NATA DEIPARA

Consulebat Oniromantem more Caldæorum

IACOBVS TOLOMEVS SOMNVRNAE.

Carmen Eroparthenicum Marianum.

Trimetri Heroici cum Trochaicis canonici omnes.

ILLVSTRES oculos geminato Sole recludit
Orta recens Aurora, maris quæ nomine Cælum
Possidet, Isacidū genus alto à sanguine Diuū
Dædala virtutum veteres Natura colores
Induit. & prisco soles exponit in auro.
Sed vnus ipse sole iam nato nigris
Damnabor vmbris positus à Diua procul.
Scilicet anhelo noctuabundus gradu
Hic somniosum corde vaticino senem
Iosephum adibo, spectra qui somni arbitrans
Ventura rerum fata veriloquus tenet.
Anna imperauit: somniet. per somnium
Exinde referat, qualis, & quanta hæc fiet
Futura terris Virgo iam Cælo potens.

Quid

Quid complicata fronte porrigitis minas?
Credo horruisti somniorum interpretem
Vt impiatum perduellem Numinis.
Dicetis, hoc anile, si non impium est,
Verare somnia velle somnium est merum,
At non sopora hic machinatur ludicrè
Idola Morpheus fabulans cum Nænia:
Num. 12. *Sed architecta Cælitum sculptas manu*
Formas inaurat Veritas somnum regens.
2 Mac. 15. *Et ille tandem tamdiu optatus senex*
Gen. 37. *Adest Ioseph, nomen à magno, & genus*
Deductum Ioseph scilicet, qui dum suis
Regale Cæli somnium enarrat puer
In seruitutem scelere fraterno incidit.
Stirps ergo ab illo, concolor generi viget,
Et Cæli eodem somniorum munere
Clarus per vmbras fata piscatur suas,
Numeros tenet Platonicos, nil non sapit
Primum ille seclum ætate decacuminat.
O nos beatos. ecce composuit thorum,
Nulloq onustus pabulo, planè integer
Ne visa perturbata distortè ingruant:
Se se in soporem collocat. sed somnias
Si somniare hunc reris: exuctus vigor
Vitæq. succus omnis in fundo aruit
Aetatis, altam ducere quietem nequit.
Nec nisi per interualla captat somnulos
Leues, resectos, turbidos, loquaculos.
Nam mira res. hic fata per somnum canit,
Et mutus est, dum vigilat, inter somnia
Disertus autor. vnus hic ergo lapis
Nobis mouendus, alea hæc est vltima,
Adhibere somno, & somnio calcaria.
Atque hunc in vsum forte medicamen tuli

Vinum ex odora Vinea Engaddi merum Cāt. 1.
Salomonis arte conditum, ambroſiæ genus.
Id ego ſub antrum commodo ſtatui loco,
Nec temere, vt hauſit penè totum auariter?
Sorbet, propinat, fata credo iugurgitat
Quæ mox refundat ore fatidico egerens.
Nunc eſt premenda maſſa, cum ferrum calet,
O fata rerum inuerſa, ſortem putidam.
Saltem Puellam nupera aurora editam
Somnum edocerem cantitatis naniꝭs,
Cauſam canendi nobilem ingenio daret:
Atque ego propinquo ſolis aſpectu mei
Beatus interfruerer. hic quo præmio,
Vetulo, ac vieto naniam nennam cano?
Sed citius hæc agenda, ſi placent minus
Vt liceat hinc ad Virginem quantocyus.
Conſopiamus pupulum hunc per naniam.
„ *Cede ſomno lumen vnum, Cede Ioſeph alterum.*
Somnus eſt ſecunda nutrix, prima ſi vinū eſt ſeni:
Nempe Bacchi poſt ſaporem, nil ſopore gratius.
Non gemellus ille mortis, ſomnus eſt vitæ parens. Gen.2
Eua mater vnde fluxit? ſomnioſo de viro.
Adeſte, dormit: imò iam loquitur ſenex.
Ecce autem melior reparatæ ſtirpis origo. Gen.3
Altera calcatis oritur ſerpentibus Eua.
Illa perit primo colubri excantata ſuſurro,
Nec dum ortam ſobolem ducens in funera Mater:
Contra hæc prolato genitrix fauſtiſsima VERBO
Diſrumpet ſerpentigenas cum Dite phalanges
Aeternum ex auro molita nepotibus Aeuum.
Sagire nouit proſperè, ac ritè hic ſenex.
Vt vera narrat? certè vbi primum meos
Puella in oculos fulguriuit dexterè
Coruſca ſine tonitruo, & ſine nubilo;

Quic-

Gen. 23. *Quicquid venenum pectore intulerat meo*
Antiqua serpens fraude primaeua tumens,
Extinxit omne sospite afflatu beans.
Mox mente quicquid ferreum procuderat
Vesanus error officina in lubrica
Irae, atque Amoris, fluxit in venam auream
Conflante visu Virginis. quicquid luti
Sparserat Adami putris argilla in animum
Strauit nitore candidans argenteo
Deum prehensans candida hac Aetheris.
At nil prehendit somnij noster senex.
Consopiendus rursus, vt fortem canat.
" *Cede somno lumen vnum, cede Ioseph alterum.*
Per tenebras hic colorat cogitata mentium.
Filius non ille noctis: nocte sed lucem creat.
Dormit, & scalas Iacob Sole clarentes videt.
Attendite: obdormiuit, & fatur senex.
Ecce autem superum caelato scansil' sauro
Semita lucentes aperit per nubila tractus.
Infera connectit superis, dat sydera terris,
Sexcenti nata ludunt in Virgine Amores
Susq. citati, deq. rotati hoc tramite pergunt.
Candida virtutum renouatis agmina seclis
Has ineunt, redeuntq. vias, hoc pegmate Diui
Mortales reuocant Caeli ad stipendia turmas.
Collineauit curiosus hic probè:
Semel puella visa diuisit meum
Per mille curas pectus: erexit gradus
Cāt. 3 *In corde miros. qualis hymenaeo calens*
Frequente Salomon, ferculum pompa inclytum
Vbi rupe Libani cadua extruxit, rotis
Albas quadrigas Veneris exuperantibus
Ad sedis aurea culmina faciles sibi
Gradus parauit purpura è conchylide.


At ego per hosce scansilis amoris gradus
Quam dura patior: nam modo ascendo leuis,
Et modo relabor plumbeus. spes arduè
Grassata primo pectoris voto salit,
Et iam prehensat gaudiorum verticem.
Diffisa meritis inde tristitia redit
Ad ima. trepidat capite nutanti metus,
Nec supera tentat conscius vertiginis.
Si vota rursus ira sustollit ferox,
Grauiore casu gaudia extemplo nouas
Trahunt ruinas. sic amor nobis dedit
Vigilem laborem Sisyphi noctu, ac diu.
Sed saltem Ioseph sortis occentor meæ
Dormiret ipse. scilicet. inamabiles
Nudatus oculos nocte luctatur graui.
Ergo euocemus Næniam: assuetum melos
Si biberit auris, oculus & somnum bibet.
Cede somno lumen vnum, cede Ioseph alterum.
Munus est haud ille terræ, somnus est Cali dator, Gē.37
Sydera ille mutuatur. sic Ioseph puberi
Somnianti Solem & astra somnus in seruos dedit.
Audite, consopitus intonuit senex.
Ecce autem obliqua Cæli regione caducus
Labitur in præceps reuoluto sydere Titan. Apocā
Textilis in tunicam prognata Virginis vltro 12.
Dat se materiem, radiosq. euiscerat omnes.
Phosphorus & septem cum stellis Arcades Vrsæ
Atque alij, atque alij summates ætheris ignes
Cincinnis finxere comam: dat candida soccos
Cynthia, per limbum stellæ fluxere minores.
Scilicet vt terris Virgo desponsa Tonantem
Deuocet in thalamos; monstrat iā numine dignos
Sole paludatos artus & sydere multo
Cristatos apices, Luna succincta cothurnos.

 Diui-

Diuinat altè prodigus veri senex.
Sol est Puella careat occasu precor,
Et careat vno hoc, reliqua nam Solis tenet.
In Sole fixit hoc sacrum tentorium
Prælia daturus cordibus pugnax amor.
Agnosco amoris defluum in venas Deum;
Ceræ instar eliquatus ad Solis faces
Concido libenter Icarus nostrum in MARE,
Ibi per capillos astra dum natalia
Obseruo, mea velificat in Cælum ratis.
Mox Luna ab illa quantus vndatim fluit
Et refluit æstus cordis in oculos mihi?
Sed siccus oculos, mutus & lingua est senex:
Ergo incinamus Nænias, vt succinat.
„ *Cede somno lumen vnum, cede Ioseph alterum*
Languidus non torpet ille, nec nocet cum noxijs.
Aspera est iuniprus arbor, vmbra iunipri est grauis
Mollis & somno fit arbor, vmbra fit somno leuis:
3. Reg. 91. *Cum sopore illic Helias roboratur dulcibus:*
Silete: condormiuit, & cantat senex.
Ioã. 19 *Ecce autem grauior damnatis frondibus vmbra*
Stipitis infausti somnos, & gaudia Matri
Auferet. ah miseram. sola hic suspiria, fletus
Soli è quadrifido concedent pabula trunco.
Heu dolor, heu lacrymæ. tamen imperterritus ibit
Per gladios maternus amor, per funera victor.
Tacebis importune; quid manes cies
Natale in epulum? coruus occentas male;
Aliò nefastam hanc Cæcias nubem vehe.
Vt sortis imæ vile supplicium attulit?
Vertamus hisce è sordibus proram ocyus
Ad fausta. lemma regium dabo seni
Vt læta, & alta regiè cantet, ferar
Per summa capita Cæsarum, & Regũ mytras.

„ Cede

Cede somno lumen vnum, cede Ioseph alterum
Somnus est regale quiddam, somnium est regalius.
Nempe paucis turba dormit; optimates somniant
Somniant persæpe regna. somniant Victorias. Dan. 2
Rex Syrorum somniabat, somniabat Pharao: Gē. 41
Esto Ioseph Pharaoni, Daniel esto alteri
Fauete. resonat voce contenta senex.
Ecce autem rursus tenebrosa in tartara misso
Vmbrarum Domino lucis Regina coruscat.
Illa triumphato virtutibus æthere toto
Astra superuadit, tenuis non vmbra per auras,
Corpore sed toto velis regalibus aucta
Seq. ipsa melior, Phœnix, mirante sepulcro.
Cælituum lato series procumbit olympo
Augustam confessa genu. tenet illa bicorne
Sceptrum Erebi. Terraq. mytram, Pelagiq. tridentē,
Corda per & superum, sed Amoris fulmine, regnat.
Audistis ò sortem auream. Regnum Aetheris
Gentile regnum est: alitur in nostra domo
Matrona Mundi, Principum Cæli parens.
Quid hic moramur? gratulatum oportuit
Adisse Diuam, comprecantes prospera.
Tradite libellos supplices: votis fauent
Principia regni plurimùm. sed quis mea
Aliena cura credidit? pensum meum
Lepidè peregi: nuncius adibo, & prior
Dominam professus præmium ex Anna feram.



DOMVS DE
AEDIFICATIO

Siue Laudes
B. VIRGINIS CONCEPTA
Latine, & Græce, oratorie, ac
Poetice pertractatæ,



PATRIS POTENTI
Materiem præstat ædificio.

ORATIO

Habita
A IACOBO SIGNORINO
Florentino.

TRIA sibi domicilia exædificari an-
tiquo decursu temporum volu-
rerum omnium faber, & Archit-
ctus Deus; priuatum vnum, mob-
le castrense, ceu peregrinantis Numinis gest-
men, cui fabricando Mosem præfecit, potente-
illum operum admirabilium: alterum verò, te-
plum augustum, veluti sedentis Arbitri regi-
solium ex oppleta montibus valle pœne du-
in sydera Salomon non tam potentiæ viribu-
quam sapientiæ artibus Rex omnium præcl-
rissimus; tertium denique illud ipsum post ei-
casum, ruinasq. barbaricas, Zorobabelus piet-
tis ardore princeps flagrantissimus, instaurau-

Atque

tque hæc olim molitus eſt Deus, vt coleretur terris Nunc verò quia terras colere ipſe deeuit, vnum hodie pro cunctis ædificium, elaorata primum Virgine, conſtruit, tribus vnam onferentibus operam, Patris, inquam, æterni otentia, Vnigeniti nati ſapientia, Spiritus afflagratia machinantibus heroinæ huius virginam ſtructuram, hoc eſt Aedem diuino Verbo erum omnium ædificatore digniſſimam.

Materiem ego curſim proponam oratoriè e, an poeticè neſcio: commotus enim mihi anius eſt erga nouam miraculi huius pulchrituinem vehementius, vbi autẽ concitatur acrius ratoris animus, facilè excurrit in limites finimæ facultatis.

Et vero ingentem à dextera video lignorum ruem, lapidum aceruum, metallorum copiam, onſentaneum planè Dei Patris opibus appaatum incorruptæ materiæ, quæ tanta eſt, atque m varia, vt Syluæ ſtructilis ſpeciẽ præſeferat. Nemeam appellarem ſyluam, niſi quòd Leo adrſarius ille, qui quærit, quem deuoret, non in latitans, ſed antequam illam ingrediatur, ociditur. Parthenium potius Arcadiæ nemus diamus, in quo Virgines illibatis animis, atque orporibus exercentur venationi ſanctitatis, & loriæ. Sed in tam ampla congerie eos tantum borum truncos adeſſe cerno, quibus olim Dei anctuarium exornatum fuit. Fabricatur enim Numini ſacrariũ, cuius primariæ partes nõniſi edrum, oleam, palmam admittũt. Et cupreſſus uidem non apparet, ſacra nempè Plutoni eſt; ullus hic truncus, aut ſtipes, nulli rami, nullæ rondes ſub Ditis poteſtate ſunt; tanto minus

N 3 ipſam

ipſam radicem atque originem Orco ſacrat permittendum fuit. Nulla etiam Salix hic cernitur, neque enim parantur hinc vincula, ſed libertas aſſeritur Orbis terrarum. Quòd ſi hæc oritur, vt mundum ſoluat è ſeruitute, quomodo in ipſo exortu catenis Satanæ deuinctum erit mancipium? platanus hinc etiam exulat, quæ Solem arcet, & vmbris luxuriat. Regia ſiquidem Solis hic ſtruitur, nec tenebrarum filia eſt, mater diei. Illud mirum videri poteſt, quòd Laurus ipſa excluditur ab hoc opere: fortè, vt ne excludantur hinc fulmina: fulgurari enim dulce, ac ſalutare eſt, quando vnus fulminat Amor, qui etiam non perſtrepit inſtar Lauri dum vritur, ſed pacatus ardet in pectore.

Plurima cedrus libanotica ſummam faciet ædificij, niſi fallor; nam cedrinis etiam tignis Arcam ab integro Moſes extruxit, & interiorem domus arcanæ partem, laqueato ſimul tecto, pariete ſimul contecto Solymi Reges tabulatione cedrina pauimentarunt. Cedrus autem plena, ac procera, nec oneroſa tamen, cariem non ſentit, tineam non nouit, neque ducit rimam: ea propter ſimulachra Deorum, & ſacras eorum cuſtodias ex cedro antiquitus factitabant: ſed & claſſibus cedrinis dabant ſe in altum triumphali velificatione Pharaones, & Ptolemæi, Aegypto, atque Arabiæ imperitãtes. quibus omnibus dotes, ac laudes Virginis hodie exædificandæ fundantur in primis: pauimẽtum enim, & baſis vitæ eius prima, hoc eſt conceptus Diuæ incorruptus eſt, in quo ſi tineam, aut blattam eſſe dicimus, blatteramus: & reperire hic rimam fruſtra conabimur: iunctura Dei eſt,

ſiſſilem

fiſſilem Diabolo fuiſſe quis autumet? grauidanda etiam è Cęlo eſt, minimè tamen grauis in terris; neque ſtatuam mutam, aut inanimam vanis Dijs conſtituet, ſed membra viuentia morituro Deo conflabit de ſuo, cuius in carne, ceu rate vectus in altum noſtræ mortalitatis Deus, naufragium vitæ faciet morte demerſa.

Iam verò præter cedrinas tabulas, virentis ſemper oliuæ truncos videre eſt in præparatu materiæ. Nam & Salomon ad veſtibulum ſacrę ædis effeciſſe poſtes dicitur ex lignis quadrangulis oliuarum, vt in ipſo aditu propoſita pacis arbore adeuntes inuitaret ceu ſignificans ibi enimverò pacatum iam Numen beneficia mortalibus erogare. Quis ergo credat ipſum aditum noſtri delubri, originem, inquam, noſtræ Virginis iratum habere Deum, cum ipſa pacis oliua ſit, qua præcinget diuinitatis caput, detonſo crine gloriæ, ſerui formam accipiens, vt pacificet homini Deum, Deus libertatis. Sed & illud de felicis oliuæ fortuna tradunt experientes Agricolæ, ſterileſcere illam continuo ſi malè olentis capri morſu ſemel comminuatur; cum igitur certò ſciamus Diuam noſtram fæcunditate mira parituram fructum immortalitatis, ne primoribus quidem labris iniuriam illi intuliſſe credimus Satanam, Caprũ illum tartareũ, Ducem ſinixtri, damnatiq; gregis infamem.

Verum Cedro, atque Olea multiplici comportata, ramos palmarum aduehi latos, ac teneros iuſſit Præfectus operi Virginali. Et ſanè ſi palmas, victorum præmia, explicari pro foribus antiqui ſacrarij, Deo iubente, curauit ſapientiſſimus Salomon, vt oſtenderet non eſſe illum

præliandi locum, ſed partas antea Victorias concinendi: nihil eſt cur viuum hoc penetrale Numinis. Virginem, inquam, perpetuam, in cõceptu, qui prima eſt viuendi ianua, præliari dicamus, cum fugatis ante pugnam hoſtibus, ſpirare incipiat cum vita triumphos.

Sed quid tandem ſingulare ſignet in Virgine lignea hæc omnis ex cedro potiſſimum obiecta materia, accipite. E Dauidica ſtirpe, quam medullam Cedri vocauit magnus diuinandi magiſter Ezechiel, ex familia inquam, Dauidis, annoſa illa tot veterum Patriarcharum ſylua, Ioachinus, & Anna prognati materiem ac facultatem membris Virginei corporis extruendis in ſanctuarium Numinis tradiderunt.

Iam quid animæ ſentienti, atque intelligenti ſignandæ præparetur, ex argenti, atque auri laminis, ærisque fulgidi ponderibus, quæ præſto hic ſunt coniectare licet. Ex argento enim candoris, ac læuoris eximij partem illam pectoris, quæ concupiſcendi ſedes, & regale ſolium Amoris eſt, conflatam eſſe crediderim, argentum enim quod in lingua ſacra nomen à concupiſcendo deriuat, Virginis huius amorem notat, qui non ferrea pertinacia durus, ſed ad nutum Sponſi mollis & ductilis ſequitur Agnum quocumque ſe verterit, neque luto voluptatis terrenæ, ſordet, ſed candoris empyrei pura puta portio ſupra regiones Angelicas eruta ſplẽdet, & ſplendet quidem non ex face Cupidinis vrente, ac denigrante, ſed ex niue illa, qua Chriſtus effulgebat in Tabor regio candidus paludamento. Etenim prima hæc omnium Virgo Virginitatem Deo nubenti vouens, non ad ignẽ vulca-

vulcanium, sed in officina niuium, quibus resurgente Christo in Sepulcris ipsis coruscabũt Angelica vestimenta, Amori suo tela cudet argentea longè ferreis potentiora. Interrogauit olim Apollinem Philippus Macedonum Rex bellicosus de ratione vincendi, & responsum audiuit ex Pythia. Vinces ò Rex si pugnaueris hastis argenteis; at nostra hæc regina pacis, ac veniæ, telis argenteis Amoris armata Cælum oppugnat, & expugnat Cælites, tum diuini pectoris arcem aggressa Vnigenitum è sinu Patris abripiet prædam pudoris. Sed quid sibi iam velit massa candentis æris argento proximè apparata facilè est iudicare: alteram siquidem pectoris partem, iracundiæ sedem, ipsum fortitudinis locum in magnanima Virgine substernet. æreas enim tamquam robori militari aptissimas loricas, & galeas conflabant antiquitus, neque arma Homerus, nisi ærea magnanimo Achilli procudit. Et Gabriel inter optimates Cælitum primi nominis Angelus bella denuncians, ostendit se compactum æreis bracchijs Danieli. Nostræ igitur etiam Virgini æs triplex circa pectus erit in re trepida pugnaturæ: non illa terrenda minis, non flectenda blanditijs, nõ trepidatura periculis, in ruinis alta, atque magnifica, in ærumnis, & squallore formosa, iuxta crucem crucianda, non incuruanda, stare ibi videbitur vbi iacent alij. & ancyle quidem Martis è Cælo in Vrbem Romam lapsum credidit antiquitas, vt eo bellicrepa Saliorum saltatione iactato commoueri Roma non posset. clypeus hic enimverò temperatur diuinitus, quo Matrem, & cum Bellona Deorum omnem exerci-


tum debellabit hæc Virgo non Vrbem modo Romam protegens,sed cæleſtem exornansHieruſalem vniuerſam. Verum laminæ auri ſuperſunt nobis in materiæ propoſitæ apparatione ſecunda,quæ cum ſuper inductæ olim partibus omnibus Hieroſolymi ſacrarij fuerint à Salomone,ſatis indicant nobis ſupremam Virginis efformandæ mentem, cui membra ſubduntur omnia,auream planè futuram. Quòd ſi Regum animos hauſtos ex Deo, fictosex auro rectè volebat Plato,quis non Reginam Cęleſtium fateatur puellam, cuius pars potiſſima ex auro de Cæleſtibus venis excerpto paratur.Et Nazzarei quidem ſicuti lacte nitidiores toto nimirum corpore fuiſſe dicuntur,ita toto vertice ſplendidiores ebore antiquo perhibentur, cuius color palleſcebat in aurum,ſi purpurę,minijque fucus acceſſiſſet operoſo veterum artificio. Quin etiam in Aula Salomonis adoleſcẽtes cæſariati ramentis auri probatiſſimi ſpargebant ſub aurora cęſariem,vt imitatione leuiſſima,ſui Regis adularentur capillis,qui certabat cum Sole de crinibus.Sed Auroram, & Solem vincet lumine,ſapientia verò, & pulchritudine Salomonem mater hęc vnica Nazzarenorum, hoc eſt Deo dicatarum mentium. Eius enim primum diluculum,ſeu conceptum illuſtrem non ramentis auri, hoc eſt excrementis terrę, ſed diuinis virtutibus,gemmis,inquam,in Cęlo naſcentibus illuſtrat Deus.

Adeſt enim tertius iam paratus,pretioſorum lapidum infinita quodammodo ſeries fundamento naturę iam poſito ſuperferenda, quibus ad Cęlum vſque molem Virginalem eriget di-

uini

uini Spiritus Amor, vbi Filij ſapientia Ideam monſtrauerit operi, formamque preſcripſerit. Quæ ſanè omnia cum noſtræ naturæ vim luce, ac precio ſuperuadant, eloquentiam relinquunt in tenebris, & ſilentium faciunt pretioſum. Sed inter tot berillos, atque topazios, hyacinthos, & margaritas, alioſque lapides, & mole, & pondere, virtute, ac pretio decumanos, pyropus ille medius tenebras mihi mentis diſcutit, linguæ taciturnitatem abrumpit. Eius quippe magnitudo Mundum exuperat, eius lumen vmbrã habet quicquid eſt Solis, ac Syderũ, ardor eius Seraphinorum incendia comprehendit. Quid hoc igitur eſſe dicemus? cara mihi non ſit hæc gemma: niſi Virginis charitas eſt, quæ ſupernis Diuinitatis nata radicibus deſpectat infra ſe poſitam fortunam, ac virtutem omnem mortalium, & immortalium.

Quod ſi diuini Patris hoc opus, maius quiddam, & altius plus multo eſt, quam nos humi ſtrati aut extollere dicendo, aut ſuſtinere cogitando poſſimus: ſaltem, quomodo fabricam ipſam ex empyreis hiſce gemmis componendam in exemplari diſponat architectans Filij ſapientia, iam audite.



FILII SAPIENTIA FORMAM PRAESCRIBIT AEDIFICIO

ORATIO

A FRANCISCO IGNATIO TONELLO Romano

Habita Græcè, & Latinè sic reddita.

TANTO sumptui, & magnificentiæ Patris amplissimi largitoris in comparanda materia pari prorsus artificio respondet in constituenda forma Aedificij Sapientia Filij modulatoris. Sua res hic agitur nempè: pro domo laborat, cuius cum ipse futurus sit habitator, ac dominus, ex eius profectò animi sententia extruendi operis figura, dimensio, distributio, modus ædificandi, locus ædificij accipienda fuerunt. Et figuram quidem quadratam selegit sibi. Etenim sicuti Sapientia dum spatiari cupit, Orbes amare dicitur Gyrum Cœli sola solita circuire; ita si commorari velit diutius, quadratum parare sibi domicilium consueuit. Arcam enimuero Mosis redegit in quadrum, tum quadrauit & Salomonicum templum, cælestem demum Hierusalem felicitatis æternæ Regiam quadrata forma disposuit. Miram quippe æqualitatem, ac dimensum partium figura hæc in puella nascitura designat. Quoties enim, & in

quam

quamcumque partem cadat, ſemper fui ſimilis eſt: ſibi autem valdè diſſimilis eſſet hæc Virgo, ſi primus eius hodiè in vita poſitus per communem originis culpam obliquus caderet, cum cętera illius omnia rectè ferantur ad normã.

Iam dimenſio totius operis non herculeo paſſu, non gygantęa decempeda, non Angelorum aureo calamo finietur: ſublimitas eius Gygantum voto ſanior, atque felicior. æterni Patris non ſolum domum, ſed ſinum, & cor ipſum pertinget: profunditas verò infima Satanæ clauſtra perrumpens, eius pectus infringet, & obruet, qui non vt Enceladus, qui ſubiectus Aetnæ concutere Trinacriam ſubinde dicitur in fabulis, ſed tentet, ac pertentet, licet, quadratum hunc montem excutere velle, opprimi eſt.

Iam longitudo operis, decurſus & ordines ſæculorum omnium fama, & gloria complectetur, latitudo verò ditionis, regionum omnium capita, nationum omnium pectora continebit.

Diſtributio partium duplicem ſequitur Hieroſolymitani templi menſionem. Et penetrale quidem interius quod Sanctum Sanctorum dicebatur, ſinus eſt Virginis, locus vni ſummo Antiſtiti conceſſus, ei nimirum, qui ſolus eſt Pontifex futurorum bonorum ſegregatus ab impijs. Exterior verò domus, quę Sanctum vocata patebat & cęteris, externa pręſefert noſtrę Virginis officia, & faciem virtutũ omniũ coloribus foras expreſſam ex intima diuinę gratię cum animi dotibus temperatura.

Et nulla quidem in Templo veteri porta vergebat ad Occidentem: contendunt tamen

aliqui

aliqui noſtram Virginem prius occaſui patuiſſe per culpam, quam Solis ortui per gratiam aperiretur. At cur ex præſcripto Ezechielis ianua Templi renouandi ſita ad Orientem occluſa omnibus eſſe debuit, vt Deus Iſrael vnus ingrederetur per illam, ſi ante Numinis ingreſſum DiuaMater dare Diabolo debuit aditus primos?

Sed & propria templi olim ædificandi ratio fuit, vt nulla percuſſio mallei, nullus ferramentorum ſtrepitus audiretur. Profectò ſi in efformanda Chriſti Parente primæuum crimen excutiendum eſſet, non ſine commotione, & fremitu Satanę, caput eius contunderetur in cóflictu Gratiæ. Deniqne & locus Aedificio noſtro præſcribitur in vertice Montium, non, inquam, in valle cuius immenſa vacuitas replenda ſit immani ſubſtructione Salomonis, vt in Hebræorum ſacris Aedibus accidit: nulla enim hic inanitas præfuit, numquam priuatio tollenda gratiæ, numquam explenda Lacuna originis vitiatæ. Nó ædificabis domum tuã in iniuſtitia. Lex æterni Numinis antiqua fuit Prophetæ lamentabilis ore fatidico promulgata. Quid ergo? nonne ſecvm ipſe pugnaret Deus, immutabilis illa dictorum, factorumque conſtantia, ſi præſtantiſſimum omnium ſibi conſtruens ædificiũ fundamenta poneret in crimine?

Quod ſi montes integri auro ex obryzo dignam Deo aream ſubſtrauerunt, ſupereſt, vt qua ratione, atque opere diuinam attollat fabricam diuinus Amor ad cytharam, audiamus.



SPIRITVS DIVINI AMOR EXTRVIT

Ad cytharam ædificium.

EVCHARIA.

CARMEN EROPARTHENICVM

Habitum
AB ALEXANDRO MOZZANO
Corrigiensi.

QVÆ noua gemmatis fabricatur machina muris,
Regia num Solis? certè lucẽtior astris(te.
Materies daret hæc fastigia digna Tonã.
Nec mihi vana fides. ANNÆ intra septa parentis
Scilicet æterna sufternitur Area moli
Mox regnanda Deo, statio tutissima Diuis.
O' mihi si hæc olim pretiosa per atria paruus
Angulus obueniat: spernam tecta ipsa Neronis.
Sed tecta superum foribus abruptis patent,
Magnas & vndas gentis ætheræ vomunt.
Diuinus aliquis Dædalus Cæli fabros
Adducit operi. quanta classis Cælitum
Astris vadatis flabilis spirans Deo
Inane lictus plebis humanæ petit?
Quis ille medius puberes inter greges
Myrratus altè ducit inuestes choros
Oculosque festos, & triumphales genas
Exponit Orbi, cordium victor recens?

Spirat

Spirat beatos halitus, Zephirum reor,
Cãt.4 *Non est sine aura : flamen est. Austrum sapit.*
Boream repellit scilicet, hyemem fugat,
Iob.19 *Sed melior Austro: quippe nectareo impetu*
3Reg. *Procellam in Auram vertit, in cuius leui*
19 *Facundus Aura sibilo eloquitur Deus.*
Iam circum amœni verticis flauas comas
Discriminatus ignis in flammas breues
Linguam frequentem luce partita rotat.
Agnosco Amoris tesseras : vibratili
Act.2. *Hac lingua, Honesti nobilem causam mihi*
Iam iam perorat: ventilatus ex Deo
Amor est, Amorum conditor Diuum Deus.
O nos beatos funditus : nos hic petit,
Nos hic amamur: pectoris nostri bono
Demissus astris ludit in terris Amor.
Nos mallem vt ipsa in astra sublimes daret
Quam desiliret ipse : Sed nostrum audijt
Ecce ille votum. Machinam scansoriam
Opus Cygantum mentis at sana potens
Anna in parentis architectatur solo,
Vt mole Cælo propius admota vndique
Prensare superum tecta mortales queant.
Verum quid illud? pendulam ex humero chelim
Cur expediuit cantui? certè hoc agit.
Thebarum vt arces fertur Amphion canens,
Troiaque muros architecta barbito
Fundasse Apollo: saxa pierium ad melos
Aurita, saltu rhytmico de rupibus
Cum lapsa ierunt impetu harmonico obuiam;
Vt fabula, inquam, garrijt, Sic Veritas
Inflat canora vocis artifici opere,
Cytharaque colludentis alterna vice
Sistere Tonanti tecta, posthabito æthere

Colen-

Colenda superis. intulit cordas lyra
Antiqua Vatum natio: his resonantibus
Si cecidit olim Ierico, nunc surget Deo
Textura melior arcis humana ocyus.
Quid ergo cessat? vota subsiliunt mihi Iof.8.
Cum corde in aures, carminum extrucior siti.
Incipe ò pacis Lyrista, machinator Virginis,
Cordis aura sospitatrix funde amoris halitum:
Vna vox enixa Mundum est, vna seruet perditũ.
Dira serpens heu momordit stirpem Adæ radicitus,
Viperam disrumpe cantu, pessimam excanta ferã, Gen.3
Prome canticum salutis, dumque pronis canticã,
" *Quæso te fibras lacesse cordis intentas mei,*
" *Vnus hic cantantem Amorẽ barbitus viuẽs decet.*
Audimur: exorditur optatos modos.
Quã bene, Parthenidũ decus immortale Rebecca Gẽ 24
Prolem Abrahæ thalamis olim ductura beatis
Ad sponsum patrijs egressa penatibus vltro
Munera non Matris retulit, nil sed e paterna
Extulit Abrahami externis solum inclyta donis:
Sic neque de patrijs Adami sordibus vllum
Auferet hæc Virgo munus nuptura Tonanti
Sed neque matrescit genio, inuiolabilis Eua,
Nec minor Eua est, quæ digito fabrefacta superno
Ortum illibatum costa de virgine traxit. Gen.2
Numinis hic thalamus sponso ditescet ab vno.
Ecce igitur sternat Sapphirus nobilis auro
Grande pauimentum guttata frequentibus astris
Nil terrestris habet, cælo sed concolor vni Exod.
Par stellis, assueta Deo est sapphirina sedes. 2.4
Aspice. sonoro verba dum tactu mouet
Fidicen amandi: mira res. celeri gradu
Diuulsa proprijs sedibus quamplurima
Sapphirus vltro intexta, primæuum sacro

Funda-

Fundamen operi statuit ad numerum inquies.
Nil potuit opportunius: nam scorpij
Sapphirus ictum spernit, haud morsum timet
Nocet venenis, sanitas impos luis
Quid ergo gēma hæc? GRATIAM merito notat
Quæ prima cordis vita viuentis Deo
Regnare virus Tartari secum haud sinit.
Igitur origo salua. io. feliciter.
Sed nox me inumbrat nubila, illunis, nigrans.
Perge nūc vmbrarū abactor, luminū parēs Amor;
Si redibat prima gnato lux canente Memnone,
Tu redemptæ lucis autor, matris Auroræ faber,
Pelle concentu tenebras, dūque concentum moues,
„ *Quæso te, fibras lacesse cordis intentas mei,*
„ *Vnus hic cantantē Amorē barbitus viuens decet.*
Atque ecce Amor canorus instaurat melos.
Gē.18 *Quam bene magnanimo florescens Sara marito*
Fruge tamē nulla (triplici super hospite postquam
Non bene risisset) fidei lustrata beatis
Iam tandem radijs, sterili se credidit aluo
Gaudia prima Viro promissa in prole daturam.
Luc.1 *Credula sed melius Diua hæc matura Pudori*
Ocyus, ac tutò Paranympho innititur vni.
Illa anus: hæc tenera, effœto fœta illa marito.
Hæc nullo fœcunda viro: tamen affore matrem
Et putat, & se operi sponsat, sed me vade facti.
Illa metu mentita: premit verum omne sub vlnis
Cunctorum Domina hæc, vni ancillata Tonanti.
Hæc dum per auras explicat ludens Amor,
Cernitis! Iaspis propera, cui semper fuit
Delata pretij dignitas antiquior
Magicè velut cantata procurrit prior,
Campago magnæ prima sapphiro addita;
Nodare cinctus docta, translucet simul,

Simul

Simul est opacè solida, visorem potens
Purgare sensum, lumen & acuere efficax.
Hæc nempe, summis ima quæ concopulat
Cæcutientum luminum collyrium,
Hæc quæ penetrat Solis empyrei iubar
Hac nocte rerum, splendidè nigra, lucidè
Obscura natu prima Virtutum, est FIDES.
Sed quis mihi altum pectus horrificat metus?
Desperat animus, Ditis incubuit tremor:
Perge tu fortis cadentum suscitator pectorum;
Corde firmo quisquis audet in Gygantes Tartari, 1 Reg. 16.
De tuæ spei papilla Spiritus magnos habet.
Tu Dauidem implesti amæno Gratiarū anhelitu,
Cum canori martis ausu per Saulis Regiam
Dite toto egit triumphos Regis intra pectora.
Nunc sonoras prome vires in Dauidis Regia.
Tertium nectar propina, dumque nectar eiaculas,
„ *Quæso te, fibras lacesse cordis intentas mei;*
„ *Vnus hic cantantē Amorem barbitus viuēs decet.*
Annuit Amoris numen: occentu lyræ Iudith 1.
Mansuescit aer carmine liquescens pio,
Quā bene, cū tremerent syrio quatefacta tumultu
Corda Patrum, extremas Holoferne vrgēte ruinas
Montibus obsessis, Meraris Betulidos alta,
Progenies Iuditta, horrentibus aspera setis,
Terrenis ieiuna epulis, sed lauta beatis
Cæli delitijs, confidentissima surgit
Vnica de numero. radiat spes inter ouantes
Formosis armata genis: hinc fortis in astu Iudith 8.
Suscitat æternum sopito in marte triumphum.
Ardet splendidius nostra hæc, felicius audet.
Virgo inter stygias imperturbata phalanges;
Illa orbata viro; sponsum hæc circundat amātē.
Illa genis fucata Ducem alta in nocte fefellit;

Discutit hæc fraudes Soli contermina: Iudith
Spem vocat è Cœlo: proprio hæc de viscere promit
Spem superum, miseris regalia fata propinans.
Sopitum comitante Abra necat illa Dynastam,
Centum Erebi vigiles hac fulminat vna Gygâtes.
Videtis? his dum cantibus ventos ligat
Nodus hic Amorum; soluit harmonicũ impetũ
Plurima smaragdus, dulce mandatum exequẽs
Cytharæ imperantis, fabricam cœptã integrat,
Matrice prodijt ænea ferri ictibus
Inuulnerata hæc gemma, gemmarum vigor:
Spondere fructum censeas; ita frondium
Superans virorem recreat obtutus graues.
Scilicet ahenis viribus, contra impetum
Erebi furentis, ætheri nixa ingruit,
Viridisque semper, languidos sensus ciet
In astra, votis dulce lambens præmium
SPES illa Olympo deflua, in Olympum redux.
Sed maius aliquid vrget, humanum supra
Morem, modumque Virginalis Dædalus.
Res, credo, Amoris agitur; extremam aleam
Iacit: en amantis Numinis prætoria
Cohors amorum factio seraphidum
Nutu canori Regis accita exilit
Operi volaturire quam promptissima:
Expectat ictum barbiti, atque ille incipit.
Quam bene pacata Salomonis in indole, prima,
Et media, & postrema trahit suspiria dulcis
Sunamitis? amat Solymæ Regina Iuuentæ
Sceptro ingens, virgaque potẽs pastoride, Nympha.
Sed multo hæc melior, plenis mihi nubilis annis
Nec nata en fruitur confectam sanguine dotem.
Illa nigrans vultu, Sole infuscata maligno
Quæritet vt sponsum, viduatis noctibus errat.
Defert

Desert hac proprio viuentem è sanguine Solem
Viua ipso, nil noctis habens, pars prima diei:
Illa sedens custos fructum cum vite reliquit
Prædam auibus, sponsique graues vix effugit iras
Contra hæc delicijs Cælo autumnante beatis
Nec botrum grauidis sinit effluxisse racemis.
Illa inter noctis vigiles frustra inflat amanti,
Mox lectum cum pigra colit, declinat amator:
Hæc solem complexa vigil, sopitur in vlnis
Numinis, haud vmquã sponso exoluenda recenti:
Nempe illum primis iamnunc radicibus hausit.
Hæc ait. Amores interim seraphides
Ad numerum anheli, rythmicis volatibus
Dedere plausum: tum pyropis aggerant
Molem beatam: thalamus en surgit graui
Pretio excitatus, fulgurant carbunculi.
Quid hic pyropus multiplex, gemma vndique
Exterius ardens, intus ardescens magis?
Quæ noctis expers, imbre cælesti sata
Sapphiro amicè, & vnicè connascitur,
Ipsisque in vndis obruta haud extinguitur.
Non carus Astris ipse sim, ni CARITAS
Hæc est gemellæ GRATIÆ parelia.
Regis beati sponsa gemma hac vnica
Interius omnem gloriæ sumit modum,
Rorante Cœlo flantis hac soboles Dei
Nullaque Ditis arte contrectabilis
Stygijs ab vndis germinat victrix faces.
Sed dum pyropos laude prolixa libens
Pertracto lentè; fulminum penna ocyus
Consulguriti Cælites medullitus
Amore Diuæ, Diuus & diuum hic Amor
Saltu, & canore Virginalem machinam
Duxere in Astra. spirat harmonico halitu

Amor ipse, magnæ laudis antiquas nurus,
Annam, Rachelem, Deboram, Agarrem, Liam,
Abigaillem, Sephoram, Estherrem, Ruthim,
Aliasque. tum confluge pretiosa irruit
Texturam in omnem varia gemmarũ strues.
Candoris, ac ruboris autor sardonix,
Terror ferarum sardius, Solis genus
Chrysolitus, & sexangulo vultu inclyta
Berillus imo viscere exorbens iubar:
Chrisolampis altæ noctis illustrans genas,
Rosa leui suffartus amethistus, adamas
Nullo Cyclopum malleo quassabilis,
Et aliæ, & aliæ purpurantes candidæ
Stillæ, atque Stellæ Calitum, flores maris:
Innumera laudum decora virtutum gradus
In Virginali mole pergunt ocyus
Ad cor Tonantis vsque. quid potest supra?
Sed si beatis nonnisi hoc gemmis datur,
Inserere, Diuæ semet humani status,
Incude Amoris, iura diffingam omnia,
Erado mores hominis, in gemmam induor.
O' liceat vtinam. Diue, qui cordis vices
Fingis, refingis, igne quo non fulmina
Fabricas Tonanti, sceptra sed Amanti Deo
Paras in hominum pectora Deus, atque Amor,
Refunde pectus, crimen emenda vetus
Naturæ, in vnam verte me gemmæ indolem.
Rubrum in pyropum migret hic sanguis, nouo
Ab igne Diuæ dulce concretus meæ.
O si smaragdus commodet genium meo
Lentori aquoso; vota reuirescent mihi
Oculosque fessos sceleris inspectu mei
Recreabo magnæ Virgini. quid si aureæ
Topatiorum forma perspicua vndique


Con-

Conformet artur? intimis Solem meum
Bibam medullis, imo iam totum ebibi;
Mollesco iaspis, vireo iam smaragdinus,
Maris colorem refero berillus, mei
Maris calorem potius in venis fero.
Dum corde prono Virgini studeo vnicè,
Contraho colores ætheris sapphirinus
Totus, & in auro sum merus topatius,
Quin totus ex illa ardeo carbunculus.
E rupe cordis integrum gemmarium
Cōflaui ad ignem hunc, igitur ipsam in fabricā
Accurro, Amoris & lyram, & cantum audio,
Valete vos consistite, vt lubet. tamen
Hoc illud vnum edico: ni mecum ocyus
Domum hanc subitis, vitam agetis pessimè
Sub dio, & imbri, & æstibus passim obuij.

FINIS.



SALVS A VIRGINE DEIPARA ELISABETHAE DICTA



ELISABETHAM Virgo Mater saluere iubet.

FORMVLA EST LATINORVM.

Oratio habita
AB OCTAVIO CVSANO MEDIOLAN.

SALVTEM à Virgine dictam Elisabethæ fuisse in confesso est: sed qua conceptione vocum, quaue bonorum apprecatione suam hospitam Virgo Sospita consalutauerit, cum literæ sacræ non exprimant, reuocabitur in incertum. neque enim salutantibus vna ratio. Hospites suos Latini saluere, Græci gaudere, Hebræi pacem habere iubebant. Et dubium quidem esse non potest, quin re ipsa salutem, gaudium, pacem cognatæ suæ magna Mater attulerit, supra quam aut Romæ seruos olim Salutis ara seruauerit, aut Dioscuri lætificauerint Græcos nautas, aut Salomon Israeliticis bellis per-

tur-

turbata tempora tranquillauerit. Verum vt vt sodalium nostrorum alij gaudere cum Græcis, alij pacem habere cum Hebræis velint, mihi certe Latinè cum Romanis agenti salutem plurimam à Virgine Matronæ optimæ impertitam commentari lubet.

etenim si Pelopidas humano principatu non maior cum exiret primum Athenis, oratus à coniuge, vt suæ quam maximè saluti consuleret, respondisse fertur; alijs dandum illud consilium, Principi curandam salutem ciuium esse, non suam: profectò cum ex conceptu Dei principatum Mundi consequuta nunc primum è Patria proficiscatur hæc Virgo: crediderim expeditionem omnem conficere, vt Ciues: immo & mancipia seruet, propitium altare salutis.

Et Salus quidem in Vrbe Roma præter ædes Fabio Pictore descriptas, aliasque ferias, sicut Indigetes, selectique Dij, diem etiam augurio Salutis agendo festum habuit multiplici cautione deuinctum. Vnus enim ille dies augurandæ saluti censebatur idoneus, qui vacuus ab omni turba esset, purus omnis discriminis, quo scilicet neque foris bellatum vnquam fuisset à militibus, neque domi turbatum à Quiritibus, quo neque hostes aciem in prælium contulissent, neque iter nostri ad bellum: alienum, atque præposterum ratis auguribus ita salutem à Deo velle flagitare, sicuti se res haberent grauissimis in temporibus, ac ruinis. Sed mira profectò res, si rebus deploratis non implorabant salutem, & salui de salute inuocanda cogitabant, cum enim salus in discrimen venerit, tunc è Cælo imploranda est maximè, neque ad aram perfugij con-

O fugi-

fugimus, nisi cum subterfugere pericula cupimus: ægris etiam adhibemus medicinam, & cum versamur in lubrico; prehensamus. Longe igitur, multumque præstat dies hic noster augurandæ simul, simul dandæ saluti festus. Virgo Mater templum est Seruatori Deo dicatum, nupero Sacrorum Principe Gabriele. Hæc in Vteri sacrario salutem gerens, antequam imploretur, accurrit, dumque Genitricem saluere iubet, nondum genitum seruat infantem, neque temporum quietem expectat augurandæ fortunæ. sed exhibendæ futuræ felicitati præstat tranquillitatem, & gratiam Veris æterni

Scio in arcanis effatis magni Pythagoræ fuisse, vt hirundines promulgando verno tempori aduentantes, occlusis fenestris excluderentur: volucres eò molestæ, atque odiosæ, quod nostris ædibus satis familiariter vsæ, sibi nidum, sibi fœtum, sibi cantum fundant, nobis omnino steriles, fœde, strepentes. quo magis domum frequentant, eo minus, minusque domesticæ, simul ac primum rem peregerunt suam hospite insalutato diffugiunt: infaustissimæ omnino aues non apud profanos augures solum. sed in sacra etiam disciplina: cum Sanctissimi Tobiæ oculos sordenti iniuria violarint. Propterea fortasse nuptiali in carmine Salomonis auspicandæ veris amœnitati non hirundinum strepitus inducitur, sed vox Turturis audiri dicitur, & Columba potissimum in Petræ foraminibus, in Cauerna maceriæ celebratur, hæc enim mitis ingenio, candida moribus, valetudine integra, nisi quod ab amore saucia ita nostrarum domorum consalutat limina, vt concla-

uia etiam intima fœtu numeroso repleat, salubritatem aeri, fructum domui subministrans, felicissimi quoque ominis, ex quo ad Noemi celebre nauigium (relictas illas in generis humani naufragio tabulas) reuersa, portum fluitanti mundo constitutum indicans ad fenestrã, oliuæ ramo præuiridi, legata pacis salutem publicam nunciauit.

Sicut igitur Pythagoras eo hirundinum documento significauit cauendum nobis esse prauum illud amicorum genus, qui domum dies, noctesque ventitant, vt nostra omnia sibi trahant, refundentes nihil, sui Iuris retinentissimi, nostri vero auidi, & rapaces: ita Salomon columbæ nomine mentem expressit amantem sine fuco, atque fallacia non tam è re sua facientem, quàm nostra.

Enimuerò nihil prorsus obest, quin Columba hæc Diua nostra sit hodierna die; quippe nitida moribus, & oliuo tranquillior ab ingenio, ceterum etiam incolumis præterquam quod tacta de Cœlo est Amoris fulgure, non tam limine Ianuæ, quam cordis penetralibus excipitur ab Elisabeth, cui etiam saluam generis humani rem non auguratur ad fenestram modo, sed cauernam maceriæ, latibulum inquam, Ioannis infantuli, in Adami ruina dirutum volatu gratiæ subingressa, ægrotantem in origine paruulum, & patrimonij cœlestis exhæredem, indicto Gratiæ Vere, sanitati redditibusque pristinis de suo restituit.

Venit hic in mentem regale facinus Arcesilai Principis inuisentis olim morbo implicitum Apellem Chium, virum fortuna longe illi dissi-

milem, sed in virtutis ratione valde coniun. ctum; cum enim domum eius regio satellitio oppleuisset, & honorario fortunæ suæ strepitu circumstetisset ægrotum; animaduertit Apellem in omni supellectile etiam, atque etiam restrictum, non minus cum egestate conflige-re, quam cum valetudine, & suspicatus inopiã ex pudore etiam auctam continere morbi causas non leues, statuit vni malo mederi, curaturus & alterum. Lectulum igitur attrectans Arcesilaus, nimis duriter, inquit, cubas amice, & simul pecuniam mole paruam, sed pretio multam inuolutam linteolo sub puluinum Apellis infert ex occulto, tum ægro bene sperare iusso discedit. non multo post cum ineunte nocte lectum ancilla componeret in quietem, offendit pecuniam, quam acceptam intuens, & enumerans Apelles, breui admodum cogitatione verum collineans, agnosco, inquit, noui Medici operam, sic valere iubet Amicos Arcesilaus. Quod si vno in Arcesilao expertus Apelles fuit non Aesculapium inuisentem solum, sed Iouem auro etiam sanctius depluentem, quis neget reuocatum illum mox ad sanitatem corporis tam bene sanata ægritudine fortunarum.

Verum ne saluus ipse sim, neque ille sanus, qui negauerit salutem Ioanni angustijs mortalitatis laboranti datam ex aduentu Virginis tã munifico: Iacebat ille vitiata ab radice, mente languidus, & bonorum animi egentissimus etiã iacebat. adest igitur Matrona Mundi stipata comitatu immortalium Epheborũ, & languẽtis egestatem intuita, Elisabethæ gremiũ, ipsã latẽtis ægrotuli sedem nõ tam effusis brachijs quã

offu-

offuſis virtutibus attrectar, neq. ſummulā pecuniæ deficientis in ſumptibus, ſed opum theſaurū, quæ amplificantur cum expenduntur, non in puluinum ſed in ſinum, imò in animum conſerens, affluentibus bonorum cœleſtium copijs ditatum paruulum ſaluere iubet. Dicet hic aliquis. Romanus eſt mos iubere ſaluere: Virgo Paleſtina Patriæ ritibus ſtare debuit nunquam exlex. Salutem igitur plurimam attulit? ſi non dixit.

Dixi.



ELISABETHAE VIRGO MATER GAVDERE, ET BENE REM GERERE NOTA EST GRAECORVM,

Oratio Græcè habita
AB ONVPHRIO BEVILACQVA FERRAR.
& Latine sic reddita.

QVI gaudium ab hospite Diua cognatæ familiç fuisse nunciatum, ignoratinæ ille ignarus est, & expers gaudiorum omnium. Ego sanè gaudere & bene rem gerere iussam à magna matre matronam Elisabetham, atque eius infantem assero, Græci ritus æmulatione breuissi ma. Qui pro Latinis, aut Iudæis contra sentiunt, opinatores sunt: captant inter vmbras ac nebulas virgulta quædam, & vimina rationum, quibus fulciant, & reuinciant extrorsus sententias voluntate ne dicam, an intelligentia susceptas? nobis vnum pro cunctis argumentum militat intestinum, desumptum ex ipsis visce ribus: in vtero, inquam, exultasse dicitur infans. potuitne exultare non gaudens? potuit, inquies, sed non re aliqua bene gesta, quod erat votum alterum in salutatione Græcorum.

Redeat hic in memoriam Romanus Imperator ille, delitiæ terrarum vocatus eius quoque nomine comitatis, quod accedentes ad salutationem, atque colloquium, siue rem bene gessissent, siue etiam male, gaudio tamen aliquo

læ-

lætos à se dimittebat omnes, dicere solitus neminem recedere debere tristem ab affatu Principis. At hic Imperator Cœlitum, paludamento carnis, opere Virginali nuper incinctus non accedentes excipit, sed accedit vltro, Matre interprete, ad congressum, & colloquium cum Ioanne pupulo, à quo rem bene gestam non postulat, cum facultatē datū venerit vt gerat.

Quod si summa Populi Romani hilaritate excipiebatur olim vultus aduentantis Pompeij celebratus tot laudibus ac ferme prouerbijs, quòd verborum officia, rerumque beneficia summa cum alacritate daret, postularet autem nihil, aut non nisi coactus, atque subtristis; mirum non est tam effusè gestire Ioannem ab ore Summi Principis aduentantis, quem in officioso salutationis labore conferentem munera plurima, & nulla antegressa promerita requirentem agnoscebat, & vibratione illa mirabili proclamabat Deum.

Themistoclem accepimus cùm propter excellentiam virtutis suspectus iam esset & importunus potentibus; eiectum Athenis ad Regem quemdam barbarum confugisse, qui barbariem omnem exutus, cum optimatem Atheniensem famæ rerum gestarum parem, aspectu, sermone, officijsque videret, excepit illum apparatu & munificentia planè basilica: mox intempesta nocte secum reputans, qualem, ac quantum recepisset virum, obstupefactus exultasse gaudio fertur, identidem repetens. Themistoclem habeo Atheniensem, habeo Themistoclem. Quid exúltationis inesse Ioanni dicemus, ad quem adijt amoris vi depulsus è Cœlo,

in modum, vt ita dicam, exulis Deus? barbariam profectò domesticam, quæ illum infuscauerat ex Adamo stirpitus: deponit, maternoq; occursu, amplexu, osculo recipiens, agnouit hospitem, atque adeo medijs in tenebris, ipsa matris aluo contentus, secum felicitatem suã meditatus, exilire cœpit, quasi clamaret, Cœlestem habeo seruatorem capitis, habeo in terris Deum.

Quibus gaudij motibus cum efferretur ardentius; nonne etiam rem præclarè gerebat suam? non est sine honestissima negotij gestione gestire sic in rem, & in tempore. Iussit igitur Christus & gaudere & bene rem gerere Ioannem, Sed quicquid tandem Christus præstiterit, certe in hanc sententiam fortasse locutus non est, hisce Ioannem vocabulis non appellauit per Virginem Deus, Imo verò compellauit maximè, si Platoni peritissimo rationis & orationis credimus, qui sapienter admodum asserebat in Cratylo. Eam Dei singularem locutionem esse, quæ res ipsas efficit in eloquio, factis exarata, non literis, operibus magis enunciata, quàm dictis.

Dixi.



ELI-

ELISABETHAM VIRGO MATER PACEM HABERE IVBET.

TESSERA EST HEBRAEORVM.

Carmen Eropartbenicum.

Habitum

A CAROLO SPINOLA GENVENSI.

*A*RMA *tonant, sed pacis. Amor per corda togatus*
Imperat, & veteres pharetras commutat, & arcus
Scilicet Augustæ Matris regalia tendit
Bracchia in amplexũ Elisabeth: sic arcuat Irim,
Qua nymbos oculorum abigat, sternatque trementes
Votorum fluctus, & spes in littore sistat.
Virgine vestali tractat clementior ignes,
Et præfert, animi tantum argumenta sereni.
Mox iacula in calamos vertit; mandare tabellis
Nescio quid properat. fallor? me ne indice signat?
Forte cupit, nostrae vt grauiora negotia mentis
Describam. Nimias(mihi crede) Amor inclyte, vtrinque
Explebis ceras, nostri si scribere tentem
Cordis ephemeridas; curarum millia noctu,
Atque diu Herculeis exantlo laboribus, ex quo
Virginis in gremio suspiria prima locaui.
Sed tamen accurro. Nam se pia fœdera pacis

Ostendit, legesque nouas in amore daturum.
Inter non natos gemina sub Matre pusillos
Pacem versat Amor. Nempe ab radicibus imis
Quo citius stirpem egit Amor, robustius exit;
Altius inuehitur tenero sub pectore Numen.
Verum ego quid cerno? quiddã subtriste minatur
Auersis oculis, vteri sub nocte maligna
Gnatulus Elisabe, multa quem pace serenat
Virgo gerens vlnis trabeatam carne Salutem:
Fœdera sed pacis cum conditionibus aequis
Nostrũ erit (vt video) in tabulas retulisse; magister
Iuris Amor dictat iam carmina conscribamus.
» *Pax, & Amicitia æternum his Infantibus esto:*
» *Pacta sed haec pacis: prima cum ab stirpe Ioannes*
Venerit in solem, decedat mœnibus Vrbis,
Et syluas, & caeca petat spelæa ferarum.
Virginis hinc pupus pariter cum luminis auras
Hauserit, Aegypti per squallida lustra, latebras
Tentet & humectas riuo septemplice arenas
» *Sic leges effatur Amor, crudelia pacta.*
Scribo ne? Nõ faciã; Quid enim haec aspreta puellis
Cum teneris? decet hos geminos sine lite columbos
Lauta domus. Verum studia in venatica forsan
Consatale astrum pueros perducit amantes.
Ibitur in syluas: credo, venabula secum
Comportauit Amor, socij date tela, sequamur:
Sed mihi iam mentis fibras indagine Amoris
Venabundus vterque puer circumdedit omnes,
Matronae rapit hinc puer, & rapit inde Puellae
Pupus, ad illecebram duplici magnete vocamur.
Incassum pugno tot casses ludere. Sed si
Cor mihi desertum planè virtutibus aruum est
Et capreas, ceruosque, lupos, aprosque, leasque
Mille feras nutrit. Precor ò iaculator vterque

Pelle

Pelle metus, luxusque rape, & consterne furores:
Tam fortunata sub cuspide præda vtinam sim.
Sed prædam, & syluas alias indicit Amoris
Altera conditio Dictantem audite. Profatur.
» *Pax, & Amicitia æternum his Infantibus esto.*
» *Pacta sed hæc pacis: Puer hic crescentibus annis*
Squallidus, impastus, sitiens ad fluminis oras
Horreat in setis, & mollis velleris Agnum
Indigitet. Tonet algoso Iordanis ab antro
Non minus excutiens animos, quàm concaua saxa
Emissi cœlo Verbi resonabilis Echo.
Mox diram illuuiem vitiorum expurget ad vndas
Eloquio pungens animos: sic fluminis alueo
Corpora dum terget, penetralia mentis inundet
Gurgite virtutum Baptista illustris in æuum,
Et mundi rumore Deus. nisi perneget ipse.
At consanguineo de stemmate regius alter
Indole virginea plenus puer, ac Deus ingens
Olli posthabitus, fama protritus iniqua
Isacidum procerum, ceu noxæ conscius inter
Impuras acies Iordanis rore sacrandas
Baptistæ acclinet frontem mortalibus vsque
Collustrandus aquis, fons hic lustralis Olympi
» *Sic leges effatur Amor, præpostera pacta*
Scribo ne? Non faciam: Dementia cœpit Amorem,
Tergere dum tentat Numen, contaminat vndis,
Si potuit toties superos illudere ciues,
Principis hic superum non collabefactet honorem.
Vlnis virgineis clauso vndique margine, veris
Fons erumpit aquis, maculas extergere Lunæ,
Stellarumque potens, caput immortale fluentis
Nectaris, & largo stagnans in melle salutis
Hic vnus Baptista mihi est, hæc me abluat vnda.
Hunc ego me in fluuium, vel ab æthere præcipitē do

Huc spes cum votis, suspiria, gaudia luctus
Quanta mihi cordi superest, qualisque supellex,
Flumine mersabo hoc, sospesque, & naufragus idē.
Verùm Amor & scopulis, & Ponti sæuior vndis
Mortem antestatur Iudex iratus, & actor.
Ambos in pueros horrendo carmine, pacis
Extremas leges dictis ita ponit acerbis.
" *Pax, & Amicitia æternùm his Infantibus esto.*
" *Pacta sed hæc pacis: Bello moriatur vterque:*
Hæc ait, & mortis correptum hastile cruentæ
Ventilat in geminos, rursumque his vocibus infit.
Hic puer egressus quondam Iordanide sylua,
Nactus & in Regum penetralibus antra Cyclopū
Vindice propugnet lingua Virtutis honores
Multa fremens ignominiam; fratrisque himenæos
Pollutos, hostemque mihi transfigat Amorem.
Tum per natales epulas sub cypride saltu,
Ense Dionæo fortis cadat Hostia Veri,
Sit caput hoc sacrum pedibus data præda profanis.
Et digno cratere Ducem Lestrigona pascat:
Tu verò humanæ clypeatus tegmine formæ
Tanarei generis puer expugnator ab aluo;
Cum primum attigeris fastigia læta iuuentæ
Per medias laudes palmis victricibus actus:
Transuersa incurret mors, te, moritura, cadente
Hic demum expertus, qui sint in Amore dolores,
Membra dabis tumulo rimis laxata cruentis,
Ad sanum vt coeat vulnus capitale Ioannis:
Scilicet hoc agimus: per mutua funera vterque
Exploretur amans, hoc rerum pondere, cordis
Pensatur pretium, mors est libra vnica Amoris,
" *Sic leges effatur Amor feralia pacta.*
Scribo ne? Non faciam: tabulas depono. Nefastam
Nam reor esse diem: funesta familia certè est.

Iusti-

Iustitium dolor edicit: nil acta valebunt.
Quare pugillares alios, aliosque parato
Scribas, ac testes: summa hic iniuria feruet,
Scribere iura velim? procul hoc à fœdere pacis
Cede pater patratus Amor. Si lucifer Orbis
Occidit, Elisabeth puer hic, simul occidit ortus
Virgineo sol ipse mari: rescinde libellos;
Solis ab occasu stipulari non licet vltrà.
Ergo abeo: tibi habe iura haec sauissima. Verùm
Esse quid hoc dicam? mutato sanguine vultum
Dulce colorat Amor, mox aurea tela sonoris
Expediens pharetris, fulmen pacale Ioanni
Intulit, en caesa percussit fœdera porca,
Culpa, inquam, excessit, ptimi fœtura parentis.
Laetus vterque dein mortē amplexatur vtrāque;
Nempe serenatus viuis afflatibus ora
Paruulus Elisabe, ridenti arridet amico
Stare loco impatiens, exultim festus in aluo.
Virginis eductam gremio pacem vsque medullis
Combibit: hinc fibris matrem concussat ab imis
Tam bene persensit primos in Amore tumultus,

FINIS.



AP-

APPARATVS EPVLI

ORATIO

HABITA

A LAVRENTIO CAMERATA ANCONIT.

NATALI Virginis Magnæ die, dare vestris animis epulum ea re nataliciũ nostri Sodales volunt. Et quoniam satis intelligunt Conuiuas esse vos nectare, ambrosiaque dignissimos; veluti Deorum conuiuia celebraturi lectisternijs veterum nobiliora, Epulones hanc in rem prisco more creauerunt tres: atque itá partiti sunt munera, vt mihi homini imparatissimo apparatus epuli totius aduenerit: alteri administratio epularum: tertius demum procurationem cantus, & symphoniæ susceperit, æmulatus hic qnoque gratiam antiquorum condientium epulas rithmo, & harmonia.

Et mihi quidem insulsè admodum epularis hæc lautitia cecidit, quippe qui humi stratus ingenio, nihil, nisi terra natum parare possim in Cœnam plane terrestrem: cum tamen & Virgo, cuius gloriæ conuiuimus, & Auditores, quorum gratiæ conuiuamur, diuino quodam animi gustu non nisi celestia concupiscant, digni siderum thoris, atque triclinijs.

Verum in Terris etiam nescio quæ ficta Solis mensa apud Aethiopes celeberrima olim fuit,

que

quę nunc fortaſſe fuerit ad noſtræ imaginem veritatis. Aprica ſiquidem, ac vaſta in regione ſapientes Apollinis Myſtæ tota nocte, clàm populo, cum menſam immenſam mira copia, & varietate ciborum extruxiſſent, ante lucem taciti recedebant: tum Sole primùm exorto ingens eò Ciuium, hoſpitumque turba confluere, ſpectare, diſcumbere, carpere, cædere, libare, ab ouo ad mala ſacras abligurire per ſummam religionem epulas, quòd eas non humano artificio paratas, ſed Solis naſcentis beneficio diuinitus è Cælo exhibitas putarent, ſtolida magis credulitate ſaturi, quam adipali ſatietate felices. Sed quod illi nocturnis fraudibus terrenum elucubrauerunt epulum, ſimulata perſona Solis; id nunc ſub Auroræ noſtræ manifeſta natalia, adornamus melius diuino Soli conuiuium. Etenim ex quo gentis humanæ ſimul auctor, ſimul extinctor Adam, affectata propius Diuinitatis luce infuſcauit familiam, tellus omnis, quaſi Aethiopum regio facta, ſterileſcebat; cum ecce tibi media inſcitiæ nocte, & in bonorum omnium publico ieiunio, non ficta Sapientum opera extruitur Solis menſa mortalibus, ſed mortales ipſi Ioachimus, & Anna ope Numinis, promicondi, menſam Principe ſiderum dignam, Virginem, inquam, hanc, auroram ipſam proaccubitu venturi iam iam Solis inſternunt, & cumulant. in quo etiam attigerunt nonnihil ſapientium veterum diſciplinam.

Etenim Phyſicorum aliqui, & optimæ notæ philoſophi cenſuerunt Cęlum terreſtribus pabulis enutriri: quaſi ęterna ſiderum ſoboles viuere de fluxo debuerit, & ſupremi illi Mundi magiſtratus ſuſtentari cibarijs miſerorum. Sed

cum

cum super astrorum victu discreparent multi, in Solis tamen alimento conuenerunt omnes. Veriti siquidem, ne Soli molestum esset cibum comminuere, ac molere dentibus, emollitum ei nutrimentum, potione veluti extillata, Oceanum, inquam, & maria, quotquot sunt, extenuata prius caloribus in vapores, pro diurno dederunt. Quòd igitur æterno Soli Christo verum datura sit nostræ mortalitatis alimentum stillantibus papillis hæc Virgo, merito mare magnum, quo bonorum omnium infera ac supera flumina confluerent, esse debuit: quin etiam & maria ipso nomine præseferre.

Sed hæc orituro Soli mensa sit structore Deo: numquid & nobis ex tam fœcundo, placidoque mari piscari licebit aliquid lautitiarum in epulum? Profectò si aquaticis vesci animantibus opiparæ magnificentiæ loco duceremus, irrideret nos furia illa conuiualis famosa Cleopatra, quæ non Mugilem, aut Murænam, non Silurum, aut Thynnum adornabat in cibum ex aquis, sed pretiosum Oceani portentum, gemmam illam, vnicum opus naturæ, artificiosi cuiusdam aceti asperitate labefactans, vno profano poculo gemmei liquoris, Pontificias omnes Romanorum cœnas damnatas, Latino etiã Iudice, vt minores, absorbuit.

Exinde barbarum istum morem vexandi pro ventre præstantissimam quamque naturam, sicut & cetera monstra consuetudinum externarum, Romana Ciuitate donauit malè caligatus Caligula, non sine suffragio infimi Ordinis, ne dicam Equestris, & Senatorij. Clodius enim Aesopi cuiusdam Tragœdi filius vniones maximi

ximi pretij mira arte maceratos singulis Conuiuis, ouorum sorbilium loco, deglutiendos dabat, luris æstimans palati gloriam, quam voluptatem.

Sed nostri maris in alueo, nostræ, inquam, Virginis in pectore, non gemmæ solum, quibus cœlestis Hierusalem exædificanda dicitur, flagrant dilucidius: sed æternum Verbum, vnionē illum extra humanarum opum pretia, supra fortunas Angelicas pretiosum, illum vnionem, quo in vnum veluti concordiæ annulum Cæli suprema, terrarumq. infima colligantur, margaritam illam sinu diuini Patris, immenso beatitatis Oceano prognatam, Concha hæc materno conceptu profundet etiam in lucem mortalium & quod admirere magis, ac magis, Virgo hæc vna eadem Numen illud idem, veteres ob inimicitias nobis peracerbum, & prisca pœnarum seueritate durum: non vt gemmam suam Cleopatra aceti alicuius asperitate colliquefaciet, sed suauissimo demissionis, ac modestiæ suæ melle soluet in amores humani generis, eo vsque, vt rerum omnium pretium, & vita Deus, verum fiat nobis tandem in potu, ac cibo vitæ alimentum, ac pretium.

Et quamuis noster hic vnius gemmæ paratus in Virgine ad Cleopatræ similitudinem expositus satis per se Mundum explere valeat vniuersum; tamen nescio quo pacto Aegyptiæ Reginæ luxum epularem supergressa fertur munificentia Regum Persarum, quorum ille vnus celebratur à Græcis basilicè, qui Themistoclem exulem Atheniensem excepturus, non gemmatos haustus, vt Cleopatra, non auratas epulas,

vt Caligula, ſed vicos, & Vrbes, regiones, ac prouincias exorbendas obtulit. interrogatus enim à domeſticæ rei Præfecto, quam cœnam hoſpiti priuato daret? reſpondiſſe fertur, trado illi pro pane primario totam Magneſiam (regio erat ab optimo frumento copioſa): tum vero in vinum Themiſtocli attribuo Lampſacum (prouincia fuit felicibus vinetis celeberrima) mox in obſonia largior hoſpiti noſtro Myunte (Vrbem intelligebat multiplici cupediarum foro percelebrem): denique pro tapetibus cœnatorijs, & vnguentis, Percopen, emporium operibus veſtiarijs, & vnguentarijs inclytum, dono do.

Hunc in modum ſupra Romanos, & Græcos, liberalis Barbarus priuato ciui non greges, aut armenta, ſed Vrbes, ac prouincias, & pene regna dapinabat. Orcum, opinor, Themiſtocles potuiſſet adducere pro vmbra, & Paraſito.

Sed quid hic ego ſimile afferre poſſim in rem noſtram, non video. neque enim aut Attalus in Aſia ſum, aut Cræſus in Lydia: aut Romæ Craſſus. Perſicos odi cum Vate Lyrico apparatus. Quanquam non diffidendum omnino eſt in tantis opibus huius Auguſtæ, quæ naſcitur: nam ſi mentem bonarum cogitationum epulis ſaturare velimus, non deſunt agri, non vineæ, non regiones, non ſtagna, non Vrbes. de cenſu erotico Salomonis petenda ſunt.

Hæc etenim vna Virgo nonnè decore ſuo, & Libani Turrim exhibet, & Vrbem Hieruſalem, & Caſtrorum acies ordinatas? inſpicite amicæ caput, tempora illa Tempe ſunt, non Theſſala, ſed Libanotica, ſed Carmelitica. dabit hor-

hortum conclusum, cũ pectus ostenderit. Vultis instratum lectum tapetibus? ecce ferculum Salomonis, cuius columnas finxit argenteas candor virgineus. cuius sedem Amor ipse iaculorum textura fecit auream: gradibus fulget purpureis; credo, quia martyrio sanguinar intestino. Sed fortasse piscatu magis oblectamini: oculos mergite in eius oculos: sunt piscinæ in Hesebon. Vnguenta, opinor, experitis. ducet illa nos in montem myrrhæ, in collem thuris, in alpes aromatum: immo vero conuiuas suos in Paradisum emittet, euocabit in Cęlum ad epulas beatorum, concinentibus passim Amoribus, Emissiones tuæ Paradisus.

Quæ profectò emissio in sublime reuocat animum ad memoriam cuiusdam nescio quàm elegantis festiuitatis, cuius auctor, infestus omnibus bonis Antoninus fuit, prodigiosa illa eluuio adolescentiæ voluptariæ. hic enim inter alios lusus, quibus nouo semper cœnarum commento commessoribus illudebat suis, lectos aliquando in modum follium excogitauit: vtres vento plenos velamentis sericis occultatos insternebat, eo aptos artificio exilium spiramentorum, vt comedentium assessu paulatim grauati, lento relatu sensim sine sensu detumescerent, donec cõuiuas infra mensam ad terram vsque demitterẽt. Tunc immotus super mensam Cæsar mirari descensum: ridere, quòd more canum sub mensa positi nihil roderent: subirasci, quòd parem cum Cæsare accubitum dedignarentur: tum inquirere, quo tandem pergere sine motu vellent: an sub terras etiam apud Inferos cœnaturi? Cãt. 4

Factum lepidum, dictum facetum, sed mimicè

po-

potius, quàm regiè. Regina hæc superarum rerum, atque cælestium, apparatu plane contrario, non follibus igniarijs descensum parat, sed impulsu aquæ salientis in vitam æternam ascensum Conuictoribus suis gradatim instituit, vt exorsi primas hic mensas in Terris gustatione virtutis; cœnæ deinde caput in Cælo ad sinum ipsum Diuinitatis potiamur, exhibitum ab eius filio Rege sympofij, iuxta veteris effatum Oraculi. Consedere nos fecit in cælestibus.

Eph.2



AD

ADMINISTRATIO EPVLARVM

ORATIO

Græcè habita
PLINIO PONGA NOVOCOMENSI
& Latinè sic reddita.

DVM mecum ipse delibero, quo ferculorum ordine committam hanc cœnam, talos accipite vos more veterum ad conuiuij magisterium; vt i basilicum iecerit, inuocata Magna Matre, ter sit symposij. & quoniam iactus omnium liciffimus est, qui quatuor talis, omnibus inæqualibus, cadit; credo, quisquis quatuor illas virtes præcipuas, inter se specie dispares, intum dederit, coenę Rex renunciabitur. Sed llimur: sortita iam regnum in omnes è Cælo Heroina, quæ nascitur. video coronam, insignie Regni, capiti eius impositam è stellis plexã. At perplexus animi adhuc sum super exordio istationis. Scio veteres Græcos ante cœnam orditos interdum à melle, à nasturtio Persas tiquos, Latinos à lactucis, alijsque hortensibus llicantibus. Scio cunctas ferè gentes ab ouo spicari conuiuia. sed mollior dulcedo mellis rruptela stomachi, cupiditatem cibi impetu imo frangeret: nasturtium seueritatem gene-: reliqua vulgaria duxerim. Quod si hæc etiã accep-

accepta,& grata fuerint,in promptu sunt. nimirum prima nunc aurora est nascente Virgine: non tam arborum folia, quàm orbium sidera melle roscida inueniuntur. quicumque hoc matutino sub dio spatiari voluerit, vnctas gratiæ liquore mentes sentient, & cogitationes cælesti voluptate concretas. Tum si oua nasturtio mixta aduersus ictum serpentum feliciter exhibentur;vna hæc infantula plena nectaris antiquum anguem disrumpit. Denique & lactucis vesci hic etiam licebit agrestibus,nam Phase cum hac Virgine semper habes.queuis hora apud illam exacta,dies festus est.

Nunc velitis, & iubeatis, quo lautitiarum genere, & cœnæ caput & secundas mensas refertas afferamus? Ritus fortasse arridet Imperatoris Getæ;qui per literarum notas, eduliorũ classes digesserat.suspensam quippe non procul à triclinio tabellam alphabeticam habuit literis prægrandibus ordine dispositis inscriptam eo pacto,& conuento cum seruis, vt cum virgula quadam argentea designasset literam aliquam, statim cibi,quorum nomen ab ea litera initium ducerent,inferrentur. atque adeò si quintamdecimam literam fortè notauisset,ecce tibi pruna, pisa,pastinacas,& pepones, pipiones, perdices, palumbes, pauones,pernas,& pisces, papauere,pulegio, porro, pipere conditos abecedarij serui proferebant,vna persæpè litera magnam conficientes periodum epularem;vt nescioquis Musca Cæsaris diceret, sine ea literatura nihil sapere sapientiam,& pro vna Cæsaris litera dare se Varronis Grammaticam vniuersam. Sed si Sapientiæ veræ mensam elementaria ratione dispo-

disponere vellemus, & nos per extremas literas ab Alcyone pacem animis afferente, vna cum Agno depellente seruitutem Aegyptiam, per omnes alias delicias salutares, ad Vitulum vsq; saginatum dape multiplici ministraremus: quo prodiga, ac perdita parentis Adami stirps ad stolam primam reuocata per Virginem, epulari cum cælesti Patre iam potest.

Quid autem? tot inter epulas sicci recedemus? puella hæc eadem vinea Engaddica est. merum amoris expressit, Salute, & Consilio Consulibus. Hoc puro, puto primum epoto Deus ipse ebrius fieri visus est? certe secreta animi apud se retinere non potest: Emisso enim mox in Virginem Verbo potissima quæque diuinæ mentis arcana mortalibus referabit. Dixi.



SYM-

SYMPHONIACI
AD
EPVLVM NATALITIVM
Carmen Eroparthenicum.

Habitum
A CAROLO ODDO PERVSINO.

CINGITE nunc serto crinem: miscete, Sodales,
Pocula carminibus. dum curas nectare Amoris
Diluimus, toto melos est Helicone liquandum.
Sed frustra hæc moneo: totis mihi ab usque medullis
Ebrius est animus, nata nunc Virgine victus,
Et non victa sitis. quamquam ipsa obliuia nostri
Muneris hoc Helenæ biberã in cratere pudicæ.
Nimirum symphoniacis dare iura, modosque,
Ius mihi solenne est, atque hæc curatio curæ.
Sed cãtũ, & cytharas animo dimouerat omnes
Symposiarcus Amor, qui cunas inter adultus
Virgine ab infanti, sæuit, tristique medullas
Curarum obsessu blandissimus occupat hostis.
Scilicet hoc ipsum peragit numerisq; modisq ue:
Nam corde instituit nostro saliare theatrum.
Secum habet & Thymelem, Melopœos, & Melocertas,
Et pharetræ ad sonitum ducit per viscera saltus.
Psaltria lætitia est: tum sambucistria mentis.

Viui-

Viuida spes implet festiuo gaudia voto,
Ludit & exultim, modulis centibia lydis:
Sed dolor heu partes agit inter damna secundas
Lege Phrygii mæsta: lacrymis hydraulia nostris
Temperat, & gemitus pariter modulatur, & iras.
Sic Amor odæum toto mihi pectore fudit.
Verũ ego non sanus, magis & præposterus illo,
Cantum Conuiuis nulla qui voce propino,
Et saltum nullis pedibus per somnia vibro.
Ergo agite, ô Melici nunc assa voce caẽdũ:
Nunc melos organicum variata lege rotandũ.
Lemma dabo, numerisq; nomõ: cõuertite mẽtẽ:
Num tota ex arte excutiam genus omne canorum.
At nos Conuiuæ, interea per singula cantus
Interualla, nouo pateras libemus in auro,
Et totidẽ votis Dominam appellemus amãtes:
Quinque super calices Virgo hæc mihi tota bibatur.
MARIA *Litera quina sacri texturam nominis intrat:*
Sic decet Infanti genialiter indere nomen!
Audi ergo liquida sinuator vocis acutus,
Qua puer intonsa quondam ceruice decorus 1.Reg.
Mutasæ in plectrum cecinit pastoride funda 16.
Excutiens furias, monstra intestina, Saulis.
Concine: do carmen: numeros cum carmine reddes.
„ *Ite procul curæ, tristes procul ite furores:*
„ *Virgo lyra est; superis pacem modulata theatri;*
„ *Personat: ad sonitum capitales dissecat angues*
„ *Eumenidum, fatis exoluens tristibus orbem.*
„ *Ite procul curæ, tristes procul ite furores,*
P Hoc

Hoc bene. nunc præstat Dominam implorare: bibendum est
Scilicet à cantu Magnum cratera Noëmi
(Prouoco vos) libate alacres: sic prima beatum
M *Littera pertexat nomen. Pater ille meracis*
Nectaris vt primum Bacchæo sanguine venas
Perfudit, mens ipsa madet. i ī crura vacillāt,
Muneribus cadit inde suis magna ebrius au-
Sic Deus ambrosiæ fundator Virginis. illa (la.
Incaluit madidus, Terra se acclinat, amore
Stantque, labantque pedes: credo, procumbet humi iam.
Erige sed temet cantus pincerna secundi,
Funde triumphales imo de pectore plausus.
Qualis Erythræo Moses in littore victor
Intonuit, cum sceptra fugax Aegyptia rupit
Fissilis Oceani redeuntibus hausta procellis.
Concine. do carmen: numeros. & carmina red- des,
Quàm bene Virgo maris cœpit cum nomine mores!
Nempe Acheronthæi Pharaonis longa Tyrãnis
Hoc absorpta mari est. vix nata impugnat Auernum.
Bellat, io, debellat io, io, plausit Olympus.
Quid si illa aggreditur Superos? cadet æthere Numen.
Bellat, io, debellat, io, io, plaudite Terræ.
A *Sat bene; nunc sacrum committat litera nomẽ*
Altera: cælestem dominã inter vina vocemus.
Prouoco vos patera, qua rerum euẽta notabat
Niliadum Princeps procerum diuinus Ioseph.
Gen. 44. *Hoc olim cyatho veteres leuat ille dolores,*
Germanumq; sibi materna è stirpe minorem

De-


Detinet:hinc reliquis pacem, veniamque pro-
pinat,
Quid non vaticiner longè felicior augur
Virgine in hac vna? crater tornatilis illi
Est sinus:hoc veteres Cæli in nos diluet iras, Cant.
Germanumq; Deum nobis, & Patre minorem
Proferet:hinc Orbi pacem, veniamq: parabit.
Sed bellum, & dulces alterno carmine rixas
Ducat amœbæum:bini vocalibus auris
Contendant proceres, lyricæ par nobile gentis.
Ceu quondam Salomon (positis cũ rure thiaris Cant,
Illum pro trabea cinxit pastoria pellis,
Sceptraque cesserunt baculo siluestris oliuæ.
Quid non cogit amor!) toto armentarius agro
Dicitur alternis cecinisse in drãmate amores, Cant.
Concinendo carmen:numeros attexat vterque 1.5.6.
1 „ *Lucifer exoritur: tellus caput extulit vmbris.*
2 „ *Hesperus exoritur oculos exprompsit Olympus.*
1 „ *Lucifer illa mihi est; sensus exuscitat omnes:*
2 „ *Hesperus illa mihi est:omnem fert vna quietẽ.*
1 „ *Rore caput madeo:Cæli est hic fletus amantis.*
2 „ *Corda calent igni:Cæli est hoc fulmen amãtis.*
1 „ *Turturis auditur sonitus: volat æthere compar*
2 „ *Alba columba gemit: compar properabit in*
antrum.
1 „ *Diua mihi est fluuius:dabit inter sidera portũ.*
2 „ *Diua mihi est pelagus:nullũ hic optauero portũ.*
Hoc satis.ac fuerit satius concludere potu (est,
Carmen amœbæum: Dominã appellare necesse
R *Tertia vt intexat memorandum litera nomẽ.*
Prouoco vos concha, quam Sunamitis odora Cant
Myrrham ex areola carpens expleuit opimis 5.8.
Vnguentis, cũ lacte merum dedit illa perenne,
Punica permiscens malorum viscera melli.

Mel, mea Diua, meum est, & olet mihi cynnama supra:
Punica mala pudor vultu dispergit in albo:
Hæc me myrrha iuuat, præ qua mihi nectar amarum est.
Lac bibit illa, meum sed cor lactatur ab illa.
Nunc age quisquis amas infundere lactia in aures
Pabula, concentum liquidis molire labellis.
1.Reg 18. *Dauidem vt quondam puerum cecinere puellæ*
Isacidū. heu quātū tremuit Terebinthica tellus
Marte Philistensi? Cælo iam iam timet Atlas,
Fronte gygantea sic verberat astra Golias.
Pastor adest: fundam intorsit: telū esse Tonantis
Dixeris: euersa fregit Babilone gygantem,
Sic frontem exquassat, sonitumque in fronte cadentis,
Sanguineumque ciet nimbum saxatile fulmen.
Concine: do carmē: numeros cū fœnore reddes,
„ *Heu quantum intremuit stygio data præda gyganti*
„ *Mēs hominū! dolor heu cordis radicibus hæsit:*
„ *Sed liquido auspicio primi sub luminis oras*
„ *Virgo exit: materni vteri subtegmine texta*
„ *Hæc funda est, Christusque silex in Virgine, fundam*
„ *Armabit: video toto iam Dite ruinas.*
Hoc rectè: Dominam sed compellemus, amicū
I *Litera iam numen percurrit quarta. bibamus.*
Prouoco vos gēma, quæ mēsæ admota profanæ
Cum Syrijs castrense Merum Iuditta bibebat.
Ille quidem iacuit male torporatus in ostro,
Iudith. 12. *Et Martis phaleras, & martia mēbra supinus.*
Sobria de temeto contra hæc in prælia surgit,
Et

Et centum clades ceruice reponit in vna,
Cladibus heu quantis damnata stirpe iacebāt
Pectora terrigenum votis constrato supinis!
Spes mihi sancta redit, redeūt in pectore vires,
Ex quo plena vibrat calesti hac nectare gēma,
Nā scelerū Iliades, & millia monstra malorū
Virginis hoc vno reparauit Gratia dono.
Plurima sed pleno resonet mihi gloria plausu.
Hoc agite, ò melici, numeris hac meta supremis.
Regius vt psaltes bellis confectus, & annis
Fatidica Dauid testudinis ossa canora
Mulcebat dextra, qua fregerat ora Gygantis.
Mille rotabantur pueri, innuptaque puellæ
Et chordis. & voce, manu, flatuque loquaces;
Sic bellatoris cedrinum Augustale Tonantis
Laudibus enectum pacata in tecta vocabant:
Dicite, do carmen: cū carmine reddite cantum.
„ *Huc age de Superis, superū Regnator ad arma.*
„ *Iam solium castrense tibi se se optima Virgo*
„ *Maternis extructa operis ad bella parauit.*
„ *Illa sagum tibi virgineo subtegmine texet:*
„ *Huc age de superis superū Regnator ad arma*
Hoc satis. vna manet nostra imploratio Diua.
A *Litera vt inceptum nomen postrema coronet.*
Prouoco vos inter sexcentum pocula Diuum,
Quæ Veri matrona potens Sapientia promet.
Ecce thorum extruxit: mytras deponet auitas, Prou. 9.
Stamine vt humano textum mantile recincta
Insternat mensas & vinum misceat ipsa.
Plura quid hic referam? non fert hic plura vacillans
Carmen ab hoc temeto: titubant mihi lumina, verum
Augentur numeri: duplicant iā pocula visum.

Naturas nam cerno duas: vir erit tamen unus
Virginis è partu Deus hic, & Homo hic; duo certè:
Imò unus Gnatus. sic verum cernere cogit
Virgo: merum est. iuuat omnem hic mergere sensum.
Duriores cerebro quisquis non ebrius hic es;
Tam siccum, mihi crede caput demētia vertes.
At vos, qui totā hausistis cū nomine Diuā
Soluite iam serto crines, iam lampada dextris
Sumite: Conuiuas, Socij, comitemur euntes.


Carmina notulis præsignata cantu repetebantur à Choro.



SPECVLVM SINE MACVLA

Siue Laudes

BEATAE VIRGINIS in eiusdem conceptu celebratæ.



SPECVLVM SOCRATICVM

Oratio habita

A NICOLAO NATO NVCERINO.

EA fuit in cælestium rerum tractatione superstitio veterum, vt simulacris Deorum lectos, & mensas certi Conuiuatores extruerent; Vestiarij sagum, & togam, tunicam, & calceos assiduè permutarent; Fictores capillum calamistris inurerent; sertis cingerent Coronarij; bene olentibus liquoribus perfunderent etiam Vnguentarij. Deabus vero suis speculum perpolitum, & grande antetulisse dicuntur, quasi ad explorandum satis ne cultæ atque concinnæ forent.

Sed quod in deprauata religione tam sedulo præstabant homines truncis, atque lapidibus diuinitate factitia consecratis; longè feliciori-bus studijs ipsi Cælites nobis exhibent cultu veri Numinis instaurato. Nostros siquidem animos modò pabulo doctrinarum sublimium

recreant, modo vestitu charitatis inaurato mi[illegible] virtutum varietate circumdant: cogitationes verò, ac sensus veluti cæsariem mentis, ardentibus cælestis patriæ votis ceu calamistris inurunt; nec raro victorijs de publico nostri generis hoste reportatis coronatos nos liquidissimæ voluptatis veluti vnguentis deliniunt. Et ne cultus fœminarum proprius deesset, en hodie Magna Mater, non anteferri sibi speculum patitur, sed se ipsam, speculum illud sine macula nobis offert multiplicem in vsum Virtutis.

Et quidem cum alios, atque alios speculorum vsus, ac modos tradiderint Sapientes; tres mihi memoriam subeunt viri præstabiles, sciendi ratione disiuncti, sed amore scientiæ coniunctissimi Socrates, Pytagoras, & Archimedes. Socrates enim non nisi tollendis animi vitijs, ornandisq; virtutibus adhiberi speculum volebat suis; Pytagoras verò non nisi in Sole consulẽdum illud esse dicebat; Archimedes demum nõ nisi miraculis operosus faces incendere, flammas cuibrare de speculis consueuit.

Quòd si alijs ergo placuerit speculum hoc Virginale, vel Soli expositum intueri more Pytagoræ, vel ad extinctam amoris facem accendendum vsurpare cum Archimede: mihi certè communis ille speculorum vsus explicandus est in hac Virgine, cuius nimirum aspectu tanquam intuitu speculi sine macula, & corrigi vitium ostendam, & exornari virtutem; ad hæc enim duo præceptum Socratis de speculo referebatur.

Atque vt orationis initium sumam ab Oratore summo; Demosthenes ille, qui sine victoria na-

naturæ triumphare non potuit in arte dicendi, ſicut hæſitanti, aſperæque linguæ ſuauiloquentiam tribuit, dum ſcrupulis ori admotis ſcrupoſam maxime literam efferre conabatur in littore: ſic iactationem corporis immodicam, omnemque membrorum motum agreſtiorem, ac vehementiorem ad eam venuſtatem, dignitatemque perduxit vno ſpeculo admonitore, cum quo oratorias ſuas exercitationes cōmunicabat aſsiduè, vt qui Auditores exterruiſſet potius, & fugaſſet initio, ſpeculi deinde beneficio quodcumq; vellet feliciſsimis illecebris perſuaderet.

Enimuerò ſi Deum laboraſſe deformitate, ac vitio vllo dicerem, quod corrigere ſpeculo aliquo debuiſſet: ſpectris ego furiarum agitatus turpiſſima dementia laborarem. Illud tamen ex mente Sapientiæ dixerim, Deum antiquitus dū per fulgura, ac tonitrua mortalibus aſperiùs loqueretur, & acerba pœnarum animaduerſione vehementiùs in humanum genus ferretur; abſterruiſſe non raro homines, neque eos ad ſtudia diuinitatis tam feliciter illexiſſe: at vbi noſtram Virginem ſpeculum illud ſine macula ſibi adhibuit noſtræ ſalutis in cauſa, humanus, elegans, & ſpecioſus præ filijs hominum effectus Deus, actione illa mirabili, quæ in benefactorum eloquentia ſita eſt, orationem de ſalute publica commutatis humanis cordibus perorauit. Perorauit non tam aures hominum hebetes exacuens, & arrigens, quàm oculos mentis deprauatos, atque diſtortos corrigens, atque reſtituēs. Ex quo enim Matrona noſtri generis Eua pomum illud vetitum obliquis oculis acriùs, ac diutiùs, quàm par fuit, inſpexit, ſtraba, vt ita di-

cam, effecta posterorum etiam oculos hæreditario vitio contaminauit, nosque strabones quodammodo, & lusciosos etiam reddidit ad veritatem. Sed hic ego potius emendatore sermonis indigere videor, quippe qui dixerim speculi beneficio prauitatem oculorum auferri, cum speculi virtus non visum restituat, aut perficiat sed visorum simulacra fido regressu tantummodo dirigat, atque reducat.

Verum enimuerò litteris antiquis traditum ego reperio, paucis ante sæculis in vrbe quadã ex Etruriæ primarijs deformitatem oculorum speculi vnius auxilio sublatam feliciter admodum fuisse. Adolescens enim quidam & elegantiæ studio, & formæ præstantia, totiusque corporis incessu, ac flatu cunctis ætate paribus antestabat: sed summam illam oris dignitatem, & gloriam per medios, vt ita dicam, Gratiarum choros quasi quadrigis euectam transuersa incurrit oculorum in diuersa tuentium fortuna, quæ vno vitio virtutes omnes vulnerauit, & perdidit: cum igitur videret in certamine venustatis fore se ijs contemptui, quibus volebat esse miraculo: statuit adhibere morbo remedium. & primum quidem peritissimum quemque medicæ, & anatomicæ rei consulit certus nec sumptui, nec labori parcere; cruciatibus etiam obuius parte illa corporis quamquam maximè tenera ac delicata: sed vbi animaduertit nullam esse apud illos expiationem culpæ delinquentis in oculis, quasi violatis syderibus nulla curatio reperiatur in elementis; domum reuersus accessit ad speculum, vt tanquam cum amico minimè adulante conferret ærumnas, & dolo-

res suos. Et speculi quidem consuetudo non consilium de more solum, sed opem etiam ex inopinato tulit, dum enim ille crebra, & varia oculorum agitatione multiplicem experiretur videndi rationem, animaduertit tandem quo sibi conatu nitendum esset in vtroque oculo euibrando, vt ambo simul apta, decoraque conspiratione in rem propositam collinearent, pariq; coniectu cum dignitate responderet sibi. Igitur vt bene cœpta res in melius verteret, plures horas diebus singulis cum speculo versabatur quæsita, & seruata quantum poterat eadem illa oculorum conuenientia consentanea, donec duorum circiter spatio mensium singulis fere aspectibus speculum testem incorruptum adhibens, corruptelam omnem oculorum depulit, & integritatem, quam tot speculantium medicamenta afferre non potuerant, vnius speculi medicamenta reddiderunt.

Verùm ego vix vnum hunc memini me legere iuuenem, qui speculi beneficio repulerit labem ex oculis; innumerabiles profectò sumus, qui cum rerum fluxarum inani splendore non tam oculorum, quàm animorum nostrorum aciem obstrictam, & læsam haberemus, sensuq; ac mente in diuersa mouentibus, peruersa æstimandi ratione deprauatam vna tamen nostræ Virginis opera ad optimum recti statum, & decoram iudicandi conuenientiam reuocamur.

Et adolescens quidem ille venustus, & cultus accedebat ad speculum, sæpe autem dolore deformis, ac luctu recedebat: nos è medijs naturæ, per Adam vitiatæ carinis eruti, sordibusq; fœdati à congressu Virginis decori, nitidique

reuertimur. ille labem vnicam ex consuetudine contractam emaculauit ad speculum, nos vitæ per facinora plura traductæ maculas delemus in Virgine: ille strabã deformitatem sustulit, nos cæcitatis etiam vitium profligamus: ille agitatis sæpius oculis, nos defixis vel semel obtutibus: ille incredibili diligentia summi laboris adibat, vltro nos beneuolentia singulari pertrahimur sæpe renuentes: ille plurium interuallo mensium caducum decus adeptus, nos momento etiam temporis cælestem ornatum, splendoremque virtutum consequimur.

Neque enim imminuimus, aut resecamus vitia solum beneficio Virginis, sed virtutes ipsas acquirimus, augemus, exornamus, perficimus, quod erat munus alterum speculi more Socratico vsurpati: Vsus hic etiam speculorum communis est in vmbratili, ac delicata vita mulierum, quæ operosis delicijs nè dicam an delirijs non munditiam sibi solum speculari illa disciplina conquirunt, sed elaborant concinnitatem, capillum augent lapillis, cincinnorum fimbrijs locupletant, censum familiæ integrum vno in capite expendentes pretioso iam magis, quàm animus in eo nescio quam benè collocatus. Vt merito Sophocles in veteri fabula (cui nomen à Cretensibus fuit) Cytheræam muliebrium ornamentorum magistram ad speculum induxerit capillos, & vestem omni decorũ copia in summa bonæ mentis inopia cumulantem; Palladem verò mentis, ac sapientiæ Deam creditam omni ornatu reiecto perungentem se oleo atletico dederit in theatrum.

Sed contra nobis vt video accidet in hac

caus

caufa. Sapientia enim illa, quæ Deus eſt, noſtrũ ſpeculum, Virginem, inquam, conueniet, vt nouũ ſibi inſtructum, atque ornatum comparet, ſequè & pulchriorem nobis reddat, & virtutibus etiam cumulatiorem.

Video vos piè commoueri non nihil in me, quaſi diuinitati conuicium grande fecerim, dum Numen ipſum aſſerui cumulari poſſe virtutibus ab hac Virgine. Deus enim rerum omnium cumulator, atque perfector eſt vnus, ipſa optimi perfectio, & abſolutio. Date igitur per veſtram fidem mihi laboranti opem, operamque dicenti.

Temperantiam moderatricem illam commotionum omnium facultatem, modeſtiam, quæ decora partium dimenſione libratur; obedientiam, qua maioribus rite ſubijcimur; fortitudinem, quæ conſtanti malorum perpeſſione perficitur; militarem artem, qua ſingulari corporis obiectu millia hoſtium profligentur; pulchritudinem, ac vim, qua ſenſus, & animi ſollicitentur ad ſtipendia honeſtatis, & qua recte factorum meritis imperium obtineatur in omnia, Virtutes eſſe fatebimur, credo omnes: harum tamen expertem eſſe Deum ex ſeſe fatebamur ante.

Accedat igitur ad hoc ſpeculum Deus, ineat ſocietatem cum Virgine, cognatione ſanguinis adhæreſcat nobis ex illa: profecto nonne & Deũ videbimus parere demiſsè parentibus, modeſtè verſari cum ciuibus, conuiuari ſobriè cum Dynaſtis, pati fortiter cruciatum & mortem, in eaque mortis acies, & Plutonis exercitus debellare; humanum vero genus ſanctiſsimis illecæ-

bris,

bris ad sese pertrahere? Ornamenta igitur alia, atque alia ad hoc speculum sibi côcinnat Deus, cumulatur ipse virtutibus, & elaborata specie, ac pulchritudine auctorem illum omnis deformitatis Satanam fugat, & superat. Quòd si Deus ad huiusmodi speculum veluti ad cotem arma exacuens pulchritudinis de fœdissimis monstris Erebi triumphauit: similem & nos sperare felicitatem decet, si apposité, ac sapienter illud idem speculum vsurpemus.

Memoriæ traditum accepi, nescio quem bellatorem, cum pugnandum illi esset cum immani Dracone, armatum vndique speculis in arenam descendisse, nec multo post rediisse victorem: cum enim in speculis illis Dracones totidem Draco viuens cerneret in se ruentes, primo quidem expauescere, tum venena ex oculis, & ore fundere acerrima cœpit, quæ de speculis cum Solis radijs feruidè reiecta in autorem, per apertas fauces cor ipsum peruasere serpentis, qui suis hunc in modum confossus iaculis concidisse fertur à pedite illo speculari cataphractario.

Verùm plus ne delectationis quàm veritatis habeat hæc narratio enarrare non vacat. Illud iucundissimum, & grauissimum negotium datum nobis credamus, vt Magnæ Matris amore, & patrocinio ceu speculo nitidissimo communiti Satanam lacessamus ad pugnam: erit enim, vt primo impetu Draconem illum nefarium, & truculentum suis artibus captum, suis venenis infectum prosternamus Virginis huius speculares, ac lucidi cataphracti.

Sed venit hìc in mentem mala res, iuuenis decorus, pullus exclusus ab ouo Neronis, Otho,

in-

inquam, Imperator impurus. Speculum enim molis immensæ deferebat secum in castris, atque ipso interdum prælij iam imminente; die in illud defixus non aptare loricam, non gladium acuere, non arma perpolire, sed candoris, ac ruboris æquabili tractu fucare faciem, segregare, circinare, collatare capillum, mitellam capiti pro galea concinnare solebat ceu Bellonæ celebraturus nuptias, non certamina. Et tamen fortuna, Circe illa non tam naturæ, quam virtutis perturbatrix infida nostris in malis procax, & petulans cæso Galba sene maxime strenuo conciso Pisone meritissimo iuuenum, Othonem eneruem vna Epicuri laurea donatum è Neronis hortulis in Capitolium euexit admotis fascibus Orbis terrarum. Absurda hæc decantantur à vulgo lasciuientis in genus humanum fortunæ ludibria. Illud opus est prouidentiæ Numinis singulare. Si nimirum nostrum aliquis hoc speculum secum deferat in hac vitæ mortalis militia, si Virginem, inquam, hodie conceptam in honoribus, & amoribus habeat, atque ad illius consilium, ac nutum, & candore integritatis, & rubore caritatis quasi cerussa, ac purpurissa mores, ac mentem delinire pergat magis, ac magis: profectò speciem animi dignam imperio consequutus deuictis sensibus, ac perturbationibus cunctis, Satanæque viribus confractis potens, pollensque ad Cæli regnum immortale deducetur audiens carmen illud sibi ex oraculo veteri decantari. *Specie tua, & pulchritudine intende, prospere, procede, & regna.*

SPECVLVM PYTAGORICVM.

Oratio Græcè habita
A LVDOVICO PACCALIA ERETANO,
& Latinè sic reddita.

SPECVLVM in Sole solum adhibe: Pytagoræ pronunciatum fuit, neque in Sole, neque ad lucernam editum, opinor, ita tenebricosum est. Et tamen ad Auroram illustrandam, quæ speculum Solis est, ad Virginem, inquam, nostram laudibus exornandam traditum mihi est argumenti loco, quæ speculo ipsi speculum esse potest, sic expolita est, sic elucescit. Sed si Pytagoræa mysteria iacent ambigua in obscuro, Virginalia certè initia erunt in aperto nobis clara, & præclara.

Et vereor ego quidem initiò ne nos excæcare voluerit Pytagoras, dum in speculũ Soli obiectum diutius nos intueri iubet. Legimus enim Democritum fabrefecisse sibi clpyeum æneum maximè perpolitum, hoc est, speculum grande inflexum, & curuum quod Soli ardentissimo propositum cum acribus obtutibus aggrederetur; fulgentiori eo lumine perstrictus, & luminibus orbatus noctem fertur accepisse oculis in meridie; scilicet vt mente à sensibus euocata certioribus, ac vegetioribus animi obtutibus in altiores naturę tenderet rationes. quod præstandum nobis etiam esse, hoc est segregandam mentem à sensibus, effato illo docuit fortasse Pytagoras.

At ego fabricatam à Deo Virginem clypeū nostræ salutis dixerim in speculi morem elaboratum; in quem quò accuratius aciem intendit acutus ille speculator criminumSatanas,anguis ille oculatus Epidaurio serpente magis, eò magis folgore virtutis,& fulgure Maiestatis hebetatus,atque perculsus captat tenebras in meridie.quem instar Cyclopis adempto lumine trepidantem , & cæspitantem iam video: imo ex altissimo Tyrannicæ potestatis gradu præcipitandum breui vaticinor non vt Tyresias,cœcus, sed luminibus Argo par,& visu etiam argutior. Quamquam vtinam Virginem,suo Sole imbutū speculum speculari vel semel liceret mihi: profectò lumina hæc ambo perpetuæ cæcitati cederem,ne quid amplius viderem turpe sub Luna . Sed Luna lucem aliquam affert mihi Pytagoricam de speculo sententiam indaganti.Luna etenim Solis speculum quoddam est.& Pytagoræ etiam speculum credebatur . dicitur enim in nocturna lunaris orbis facie velut in membrana,aut palimpsesto caracteribus nigricantibus descriptas amicorum epistolas perlegisse , & in eiusdem Lunæ maculis ceu rerum toto orbe gestarum signis varia textura digestis vidisse quid in remotis regionibus ageretur.

Sed maculis pollutum magicis speculum hoc dixeris ex malefica deprauatorum Dæmonum officina depromptum . Virgo hæc opere Cælitum albario speculum diuini Solis efficitur, & Luna ipsa,sed in qua ne astrorum quidem oculi videant maculam vllam.In eius tamen facie nitida facile perlego non tam litteras amicorum , quàm amoris ipsius acta;non tam quid in

insi-

infimo terrarum orbe mortales agant, quàm quid supremo in Cælo machineturiam Deus. In ipsa enim membrorum eius textura, quæ nunc primum elaboratur, multo veriùs, ac facilius, quàm in Philomelæ texto, diuinæ in nos charitatis exaratur historia. Vultus ille Infantulæ minime vultuosus benignos Dei sensus in apertum dat: oculi illi, quorum opera Cælum videmus in terris, facē diuini amoris erga nos accendi pronunciant: os illud in præsentia mutum Eloquentiam Diuini Verbi euoluendam in terras affirmat: sinus ille vallatus lilijs castra pudoris in tuto fore significat, vel ingruente fœcunditate: pedes illi, quibus super sydera, vt ita dicam, graditur humana felicitas, non tam serenitatem in æthere, quàm pacem sub Luna (cum Oraculo prisco loquar) euangelizat.

In quo sanè tranquillitatis genere, & alterum nobis innuitur speculum Soli expositum, Iris, inquam, publica illa nuncia serenitatis quam fortasse notauis axiomate illo Pytagoras, vt trãquillitatem animi, pacemque Reipublicæ anteferendam semper, & omnibus indicaret. Iris enim veluti speculum multiplici facie perpolitum Solem simplici colore haustum, tribus potissimũ coloribus exprimit, ac refundit: arcus ille testitudineatis guttis pendentibus, velut intentus arcus à Sole ictum dirigente post nubes, ferit tempestates, ac pluuias, turbulentos fluctus exterminat, fulgura disijcit, fulmina, ipsa fulminat, & disperdit. Quasi verò, & non blandior Iride fulgeat nostra hæc nuncia Pacis Infantula, quæ Solem suum vna forma numinis haustum triplici natura, corporis, animæ, diuinitatis non colo-

coloratum solum in cuti reddit, sed humanæ diuinæq. vitæ veritate intima constitutum.

Hanc dum fabricat Iridem, speculum sine macula, specularius Deus, Sol in illam semet eiaculatur, hunc dum intēdit arcum diuini numē amoris; immittitur serenitas aeri, mari tranquillitas, cælo gloria, terræ securitas; cogitationum procellæ non sæuiunt, languent tempestates affectuum, nulla futura sunt naufragia animorum.

Dixi.



SPE-

SPECVLVM ARCHIMEDAEVM SIVE VSTORIVM AMORIS

Carmen Eropartbenicum

Habitum

A DONATO MAZZOLINO ROMANO.

HVC aliquis vestrum, ò socij, medicamina cordi
Afferat. ab tenui succo, algentique medullas
Frigeret: ambustum flammis specularibus ardet
Cor mihi. Veh misero gelidam date: totus inarsit,
Credo, animus: sacro ceu victima fumat Amori.
Nec placatus amor (res nunquã audita) coruscat
E speculo erumpens in me vibratile fatum
Et morior: causam sed mortis, adeste, docebo.
Annosam vix fama tulit cælestibus Annam
Muneribus donatam vteri: spontaneus adsum
Obsequijs; quidquid grauior matrona iuberet
Haud secus, ac iussus facio: Sed quale laboris
Dat pretium? veros per dulcia spectra dolores.
Anna etenim gremio speculum gestare coruscum
Visa mihi. Aethereis liquefacto sole caminis,
Artificique manu superum compactile donum
In terras fluxisse putem: sed blandius vrit
Candidiusque micat: massa lunaris in albo
Fusũ opus: at maculis expers prait omnibus astris;

Materies vigilata Deo, sudataque Olympo
Machina quæcumque hæc sit, me sibi cœpit amātē.
Nempe remollitum digito flagrante Tonantis,
Hoc speculum effulgens concepta est Virgo, cauatū
Indole demissa speculum, quod sole regesto
Virtutum in gyrum radios collineat omnes.
Hic focus ardescit, cineres cui præsto medullas.
Tale Syracusia mirus iaculator in arce
Finxit opus, quo fertur aquis aluisse fauillas
Christallo, genitas, classemque liquasse latinam,
Marcello mirante rogos volitare per vndas. (stes
Dissimile hoc vnū tamen est, quod machina in ho-
Illa dabat flammas, nostra hæc exurit amicos.
Hoc etenim ad speculum dum cor mihi pēsile ludit
Cunctabunda vago lambens incendia gustu,
Dumque fugit, refugitque ad lucis mille tremores
Et vota emollit, lacrymas & siccat ad ignem;
Ecce tibi arripuit tandem cum fulmine flammam
Et cadit ambustum cor, nec valet inde reuelli:
Ferte citiò iuuenes, medicamina, ferte dolori.
Haud aliter moriente die si forte lucerna
Fulserit è claustro, accurrit peregrina volatrix
E tenebris; flammam procul assentantibus alis
Ambitiosa colit, propiori deinde volatu
Lapsa per illecebras formosæ fraudis amore,
Lucis adulatur formæ: per ludicra ineptum
Crede parasitum Reginæ applaudere circum.
Verum ex insidijs lycno stridente fauilla
Truditur, hæc volucri bellum, atque incēdia portās
Grandibus igniculum pennis affixa reliquit...
Nec mora, nec requies miseræ: cadit illa sonanti
Alarum bombo sortita illustre sepulcrum,
Quæ vitam obscuram cæcis traduxerat vmbris.
Sorte volaturit simili cor nunc mihi circum

Por-

Parthenidem speculi flammam: similique perustum
Concidit in fato; sed fortunatius arsit,
Mitius haud tamen, ignescit noua tæda medullis.
Ferte citi, ô iuuenes, fomentum adducite cordi.
Aut Chironẽ aliquẽ, celebremque Macaona (nullis
Sumptibus hic parcam) properis accersite curis.
Quamquam vix nobis sapiens Erasistratus vnus
Nosse queat cari meliora hæc vulnera morbi.
Sed quando in terris non est qui fonte, vel herbis
Mitiget, è medio contractum vulnus olympo:
Cernite; Seraphides palato ex æthere turmæ
Certatim occurrunt, credo, auxiliaribus armis.
Nunc mihi spes tandem afflatur: venere Magistri
Qui genus hoc morbi nouere: medullitus ardent
Ipsi etiam correpti æstu, quo sydera flagrant.
Tela gerunt humero, sed gestant vulnera corde.
Et non decipimur: non præsentitis odorem?
Ambrosiæ succos vngendis cordibus aptos
Nempe ferunt; multo mox flore, ac frõde redũdãt.
Alpibus æthereis quæsitas cernitis herbas
Nostrum in fomentum. cytharas, & sistra lacessunt,
Somnifero vt valeant sonitu excantare medelam.
Spero etiam multis radiant hastilibus, vt quæ
Sit de vulneribus sanies redenda, secetur.
Tanti operis moles, nostri est curatio cordis.
Verùm quis ille est iuuenis cui candida circum
Turba fremit superum officijs glomerata decoris?
Rector alexiacæ credo, est puer ille cateruae.
Huc medicas adhibere manus ex aethere lapsus.
O nos incolumes, & supra vota beatos.
Ecce breui, intortoque sinum præcinxit amictu,
Pæon um ceu tentet opus cum lege mouere.
Ast ego trasuersum moueor spe lusus inani.
Scilicet hic Amor est superũ inflammator Amorũ;

Cæsa-

Cæsariem agnosco guttis in nocte trementem
Sampsonisque tamen robustis crinibus æquam:
Nosco leues humeros, sed queis innititur Orbis,
Nosco manum, & tela, & pharetram quibus omnia vincit.
Quàm malè credidimus nostro hinc solatia cordi?
Omnia in aduersum fato experiemur acerbo.
Ad crines superum serta illa potentibus herbis
Texta virent, fibrisque aptis auertere sensum
Dulces in furias. Odor ille aperitur ab igne
Quo flagrant. Cytharis heu quanā carmina dictēt?
Carminibus Circe Socios mutauit Vlissi.
Ipsa etiam sunt tela faces: ita feruet amantum
Cælituum studijs tota hic Vstrina Tonantis.
Cor flammis haustum mihi fundo exæstuat imo.
Verùm hæc ardentis per tot miracula pompæ
Rem miram magus aspicio: censete quid hoc sit,
Ille Amor, æterno nutrit qui fomite flammas,
Quique alitur flammis, quique vna est flamma Tonantis
Extinctas gerit ecce faces; nudata fauillis
Tela gerit pariter reliquorum & cœtus amorum.
Quicquid lucis inest, Superum frons aurea fundit.
Quin potiùs nostro è speculo nox ipsa diescit,
Prægrauat atque ipsos superum, nisi fallor, ocellos;
Atque ego non fallor. Sed quiddā maius Amores
In speculo meditantur. Amor dux omnibus vnus
Acclinat sese ad speculum dum talia fatur.
Heu gelidas terras, & frigida pectora Diuum.
Hinc homines iuuat, & iuuat hinc ardere Tonātē.
Dixit, & extinctam tædam protendit in ipsum
Ardorem speculi: subito illa reuertit, Amoris
Digna manu, exarsit. Sumunt exempla minores
Turma Cælituum: speculoque admotus amico

Telum

Telum quisque suum gratos animauit ad ignes.
Tantũ in amore suos docuit pupa vna Magistros.
Quàm dulce est oculis in gyrum cernere Amores
Lampada gestantes dextris,& pectore flammas?
Sed fugit ex oculis dulce hoc. Regnator Amorum
Iam face succensa Zephyris gentilibus actus
Astrorum redit in patriam. Rapto igne secuta est
Turba minor regem. Sic dum Regina volantum
Porrigit in Solem, pennas, & lumina; proles
Si qua digna parente fuit, Solem hausit & ipsa.
Verùm alium in Solem stellantum Rector Amorum
Errabundus agit turmas, prateruolat auras
Humanosque super graditur per sidera visus.
Nostrum ergo in speculũ obtutũ figamus Amici.
Nempe repercusso videas hic vndique Cælo
Mœnia Cælituum, cuncta hic arcana patescunt.
Credo, videtis, Amor confidentissimus vsque
Pergit in æterni gremium immortale parentis,
Admouet & raptam speculari è fomite flammam,
De nostro iaculatus Amor. flagrat æthere Numen.
Nunc mihi si liceat sanari, non libet vltra,
Ferte aliò succos, alibi fomenta locate:
Frigora iam captent alii, mihi feruere certum est.
Nam si flamma Deũ arripuit, qua exuror & ipse,
Permixta velut in massa conflamur vterque,
Virgineoque Deus vel sanguine cretus inibit
Formã hominis, formã vel Numinis induar ipse.
Hoc facibus contendit Amor. Sinus ecce Tonantis
Vnigenam amplexus sobolem, stimulante calore
Lentescit, donec laxis pietate lacertis
Demittat Natum manifesta in prona ruina.
Ecce cadit stirps nata Deo, nascatur vt infra
Lunam etiam; speculo cerno hæc spectacula nostro.

FINIS.

INDEX
Rerum Memorabilium.

A

Eli.

Ma-

M

N

O

Pacis

P

R

Rosa

Tyrij

FINIS.

Laus Deo, & Beatæ Virgini.

REGESTVM

a ABCDEFGHIKLMNOPQ.

Omnia sunt folia integra, præter Q, quod est dimidium.

ROMAE,
Typis Francisci Corbelletti. MDCXXXVI.

Superiorum Permissu.



